

ANTIDOTUM AMBITIONIS,

JESU CHRISTO
SERVATORE NOSTRO,

MATTH. XVIII. vers. 1, 2, 3, 4.

Discipulis suis præscriptum:

& à

CASPARO SIBELIO
Concionibus tribus explicatum.

I. PETR. v. vers. 5.

Deus superbis resistit, submisis autem dat gratiam.



DAVENTRIÆ,

*Typis CONRADI THOMÆI, & sumptibus
JOANNIS JANSSONII, Bibliopolæ
Amstelredamensis. Anno M. DC. XLVI.*

*Reverendo, pietate atque doctrinâ
Clarissimo D E I Viro,*

D^{no.} ROBERTO JUNIO,
nuper de Ecclesia D E I apud Gentes in Insula

FORMOSA optimè merito: nunc gregis Domini
nici apud D E L P H O S Pastori vigilantissimo,
Fautori honorando, Symmystæ dilectissimo,
& fratri in C H R I S T O conjunctissimo,

D E I benedictionem corporalem, spiritualem
& æternam ex animo precor.

REVERENDÆ ET CLARISSIME VIR,



E longâ obliquâve Te verbo-
rum ambage morer, causam
Opusculi hujus Tibi dicati, re-
cta viâ, breviter stricteque ex-
ponam. Quum superiori anno,
nomine & jussu Reverendæ Sy-
nodii Ecclesiarum Trans-Isala-
niæ, Venerandæ Synodo Ecclesiarum Hollandiæ
Borealis, Harlemi, sancti firmique consensus te-
standi & servandi causâ, interesse; magno om-
nium applausu, & summâ admiratione ea excipie-
bantur, quæ de felici Ecclesiarum Dei in India
Orientali statu atque incremento commemora-
bantur. Tua in primis, Doctissime Junii, indefessa
prædicabatur diligentia, & singularis, Deique be-
nedictione sociata, dexteritas in plantandis, rigan-
dis, & gubernandis Ecclesiis apud Formosanos.

*

Ego



Ego mox apud animum meum statuebam, dignum esse præclarum illud Dei in cæcas Gentes per Te collatum beneficium, quod toti mundo innotescat, & cujus immemor non sit omnium seculorum posteritas. Qum verò id hactenus à nullo, quod sci- am, tentatum, nedum factum sit; Ego Ingressum tuum in sanctam istam vocationem, Progressumque in illa, & Egressum ex eadem, ad Dei gloriam, perpetuamque rerum gestarum memoriam, paucis fideliter exponam.

Quod ad *Ingressum*; Tu à Deo, ab Ecclesia Christi, atque ab augusto ac pio inclytæ Belgarum Federatorum ad Indos Orientales expeditionis Senatu, convertendis, & ad cognitionem fidemque Christi adducendis Formosanis, cæcis illis & miserrimis dæmoniorum cultoribus ac mancipiis, destinatus; provinciam isthanc promptè suscepisti, ac de ea diligentissimè & fidissimè administranda, serio cogitasti. Et sanè, nihil Deo gloriosius, nihil piis omnibus gratius, nihil pacandæ conscientiæ conducibilius, nihil denique Gentibus, in tenebris idolatriæ & errorum, obscuraque mortis umbrâ sedentibus, salutarius, quām ut sancto fidorum Dei servorum ministerio, oculi eorum aperiantur, illique à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum convertantur, ut remissionem peccatorum & formam inter sanctificatos accipient per fidem quæ est in Christum. Unicam animam ex faucibus infernalis

Lupi

Lupi ereptam servare, omnia lucra longissimè exsuperat. Fidus Altissimi minister magis sibi in eo gratulatur, si vel abjectissimum in oculis mundi homuncionem Christolucrifacere queat, quām si universi mundi thesauri ipsi offerantur. Quām dulcè suaveque illud Jacobi Apostoli sonat: Qui avertit peccatorem ab errore viæ suæ, servaturus est animam à morte? Quare quum Formosani Te, integro biennio & quod excurrit, lingua Belgicâ Tibi vernacula, salutis mysteria pandentem, non intellicherent; Tu, ardentissimo tum conversionis & salutis eorum, tum liberationis & exonerationis conscientiæ tuæ, desiderio motus, magno labore & impigrâ diligentia, barbarum Gentium illarum sermonem & moribus dissonarum idioma feliciter ac brevi tempore, in adulta demum ætate, addidicisti, Teque ad earum captum atque ædificationem prudenter accommodasti: ut Te propriâ suâ lingua, in qua natæ sunt, magnifica Dei facta perspicuè loquentem, per duodecim annos, audire & intelligere potuerint.

Progressum in vocatione, incredibilis Tua in docendo cùm publicè tum privatim assiduitas, atque dexteritas summa, uberrimaque Dei benedictio satis superque commendant. Nam (ut de Dorko & Tirose dicere supersedeam) in sex Septentrionalibus Insulæ Formosæ celebrioribus pagis, Tavacan, Sinckan, Bacluan, Matthauw, Soulang, &

Terurang, adeò feliciter opus Domini successit, ut maximam meritò omnibus piis admirationem moverit, ac etiamnum moveat.

Quod ad Verbi prædicati fructum & efficaciam, luce cælestis Veritatis, expulsis nefandâ idolatriâ, brutâ ignorantiâ, horribili cæcitate, fædissimo que dæmoniorum cultu, plerique incolæ ad salutiferam Dei & Redemptoris sui Jesu Christi cognitionem, veramque fidem adducti sunt: ac tantos tamque laudabiles in ea progressus viri & mulieres, juniores & seniores, summi, medioxumi atque infimi fecerunt, ut non summa duntaxat veræ Religionis capita singuli memoriz mandârint, accurateque & absque hæsitatione recitent: sed etiam ad quæstiones quælibet de religione sibi propositas ingeniosè & solidè respondere nôrint. Fidem quoque suam Pietate erga Deum, Justitiâ erga proximum, & Temperantiâ erga se metipso ita exoriant, ut ruborem ac pudorem iis qui ex orthodoxis parentibus nati, & à pueris in religione Christiana enutriti sunt, incutiant. Insuper tanto spiritus ardore, tantâ sermonis venustate & contentione, tantâque gestuum moderatione atque decentiâ, preces tum matutinas & vespertinas, tum ante & post sumptum cibum, tum in aliis necessitatibus, ad Deum fundunt, ut auditoribus & spectatoribus lacrymas cieant. Nec desunt inter ipsos, qui de quacunque materia jussi preces ex tempore concipere &

reci-

recitare, adeò id promptè, dexterè, nervosè & attentè præstant, atque si earum conceptioni ac meditationi horas aliquot impendissent. Ac quum Diabolus lucem accensam extinguere, & persua organa, mulieres putâ quasdam impudentes, incantatrices, meretrices, fraudulentas, sceleratasque & turpissimi lucri cupidas, in avito dæmoniorum & idolorum cultu, veritatisque odio, Formofanos retinere satageret; illæ partim à Te tuisque cooperariis ad verum Deum conversæ, partim auctoritate pii Magistratus exilio multatæ, aliiwise modis coercitæ fuerunt, ne amplius Euangelii cursum remorari possint.

Pergo ad Sacraenta, Euangelii ac promissionum divinarum appendices, fideique sigilla. Ac quum Gentes, federis gratiæ exortes, erudiendæ prius sint in doctrina Veritatis, quam per Baptismum Ecclesiæ Dei inserantur; Tu, Reverende JUNI, officio tuo hac in parte non defuisti, sed in eo exequendo Temetipsum superasti, omniumque exspectationem vicisti. Nam & ipse singulis diebus manè vespertique Catechumenos sedulò & feliciter instituisti, & non paucos ex indigenis, ad populares suos doctrina cælesti informandos, atque ad fidem adducendos, fretus sancti Spiritus gratia, ita aptasti, ut ex Formofanis adultis quinques mille & nongenti, utriusque sexus, nomina sua Christo derint, & à Te, in fidei suæ professionem (quam precum

precum sanctorum & capitum Religionis orthodoxæ recitatione, aptisque ad quæstiones ex Dei Verbo sibi propositas responsonibus, ediderunt) baptizati sint: cum quibus infantes ex Formosanis federatis nati, atque sacrâ aquâ tincti, non annumerantur. Cæna quoque Domini, alterum novi federis Sacramentum, magnâ cum ædificatione, singularique incolarum gaudio atque solatio, in pagis Soulangu & Sinckan ac alibi, juxta Servatoris institutionem, à Te administrata est, & à Communicantibus tam reverenter & decenter usurpata, ut dubium non sit, quin rei significatæ & obsignatæ reverâ etiam participes fuerint.

Ac quum Scholæ seminaria sint Ecclesiæ, in illarum quoque institutione, visitatione & gubernatione, nil quicquam in Te, Dei servo, desiderari potest. Nam præter paucos præceptores Belgas, in suprà dictis sex pagis indigenæ quinquaginta à Te Christo lucrifaci atque instituti, & scientiâ, industriâ, dexteritate, sedulitate ac pietate insignes, sub discessum tuum, sexcentos discipulos legere & literas pingere docebant, & tam adultos quam pueros rudimentis Christianæ fidei imbuebant. Nec facile judicare erat, utrum discipuli docilitate atque obedientiâ præceptores suos, an præceptores sedulitate & laboriosæ institutionis studio discipulos superarent. Atque ut adulti juxtâ & pueri uberiores in Dei cognitione ac pietate progressus facerent,

rent, Tute ipse summa Religionis capita, precesque quotidianas, & Psalmos aliquot in linguam Formosanam transtulisti.

Denique mille & amplius Conjugum paria in Septentrionalibus illis pagis, tempore tui apud Formosanos ministerii, precibus Deo commendasti, illorumque connubio publicè coram facie Ecclesiæ benedixisti: qui solemnis sanctæque stipulationis memores, piè & castè vitam conjugalem traducunt.

Neque verò in sex duntaxat Borealibus, sed etiam in viginti tribus Australibus ejusdem Insulæ Formosæ pagis, verum Dei cultum instituisti, Ecclesiæque plantasti: ac Dominus messis tam abundè tuis, fidi sui Operarii, laboribus atque sudoribus benedixit; ut dubitandum non sit, quin laus tua per omnes Ecclesiæ Formosanas (quas sanâ doctrinâ, vitâ piâ, & sincerâ charitate, periculis omnibus neglectis, pavisti, & apud quas ingens tui desideriū reliquisti) futura & celebranda sit, quamdiu mundus hic steterit.

Pauca de *Egressu* tuo ex vocatione, ejusque occasione & causis, subjicio. Corporis imbecillitate & morbis récidivis diu multumque conflictatus: pio dulcissimæ patriæ, ac in primis dilectissimæ, ætatemque jami fessæ, Matris revisendæ desiderio ictus: & Ecclesiæ patrias, Symmystasque, fratres & amicos læto benedictionis divinæ, Tibi in voca-

* *

tione

tione sanctâ largissimè tributæ, nuncio exhilaratus: ac porrò iis penes quos in patria summa rerum Indicarum administratio est, Vineæ Domini in Insula Formosa, à Te, Deo propitio & benedicente, plantatæ, rigatæ & dilatatæ, conservationem & propagationem commendaturus; legitimè, atque ex vocatione isthac tua egressus es; imperatâ prius honestâ ab eis, quorum intererat, ipsisque adeò Formosanis, dimissione: in quam illi facilius consenserunt, quod Ecclesiis istis de eruditis, fidis, prudentibus, & lingue Formosanæ peritis Pastoribus & Inspectoribus, tuisque in opere Domini successoribus, prospectū jam, Dei beneficio, esset.

Cæterum ne animum alicujus hâc narratione dubium faciam; ad literas, acta & testimonia publica provoco, ex quibus optimâ fide hæc excerpti. Loquuntur Acta Synodi Ecclesiarum Hollandiæ Borealis, Harlemi habitæ Anno c I o I o c XL V. artic. 20. Et Acta visitationis Ecclesiarum ac Scholarum Formosanarum Borealium, quam tres fidis Ecclesiarum Indicarum Orientalium Pastores, comitati Presbytero Tayovanensi, ac præsentibus binis ex ordine politico Senatoribus, Anno c I o I o c XLIII. mensibus Septembri & Octobri, instituerunt. Item literæ à Presbyterio Tayovanensi, aliisque ad Classes Amstelodamensem & Walachriensem, speciatim de sancto hoc negotio perscriptæ. Quibus addo honestissimum & amplissimum testimonium,

monium, quo Tuam Reverentiam ornatam Conventus Ecclesiasticus in Soulang, VIII. Octobris, Anni c I o I o c XLIII. dimisit. Ista omnia mihi visa, diligenterque lecta & perpensa.

Diductiūs paulò hæc commemoro, præcipue ut nominis DEI gloriam amplificem, quod Ecclesiæ suæ pomœria apud Gentes illas dilatârit, ac benedictione incredibili fidi sui Ministri operam coronârit. Tum uthoc stimulo excitati ii, quibus cura Ecclesiarum Indicarum Orientalium delegata est, de sanctissimi hujus operis, feliciter adeò cœpti & proiecti, optatâ conservatione & salutari perfectione, serio cogitent atque allaborent. Seræ quoque posteritati indicare volui, quæ & quanta beneficia Deus Ter Optimus Maximus per Te, Eleatum suum vas & instrumentum, Gentibus præstiterit. Quod de Paulo, Gentium Apostolo, idem jure de Te pronunciari potest: Portasti nomen Jesu Christi in conspectu Gentium. Minister Jesu Christi fuisti apud Gentes: operans Euangelio Dei, ut oblatio Gentium fieret accepta, sanctificata per Spiritum sanctum. Efficax fuit Deus per te apud Gentes. Formosani, tuo ministerio ad Deum conversi, gaudium & corona tua erunt in magno illo judicii die. Non patitur divinæ gloriæ Zelus; nec fides, quam Domino tuo integrum & illibatam servasti; nec sincerus, quo in Te, & piōs tuos atque salutares labores feror, affectus, ut per me memoria

præclari hujus beneficij Dei intercidat. Interim duos periculosos scopulos sollicitè & religiosè in hac ~~ωρανία~~ evitare studui; tum ne Dei gloriam, rerumque gestarum veritatem obscurarem; tum ne fœdâ assentatione palpum Tibi obtruderem.

Tu, Reverende Syminysta, institutum hoc meum æqui bonique consulito. Esto verò munus hoc literarum, quod fraternè & officiosè Tibi offero, certum amicitiæ piè contractæ, sanctè cultæ, & æternum continuandæ pignus, publicumque testimonium. Finio in sancto illo voto, in quod Ecclesiarum Formosanarum Pastores & Antistites effusi, Te in charam patriam remeaturum, Domino commendarunt: Deus Omnipotens rependat Tibi beneficia, quibus Formosanos affecisti, olimque gloriæ Te coronet. Cui & hoc meum votum subnecto: Deus benignissimus novis subinde gratiæ suæ donis Te cumulet atque coronet. AMEN. Scripsi Daventriæ, XXV. Iulii, Anni c Iɔ Iɔ c XLVI. qui est sacri mei ministerii annus tricesimus septimus.

Reverentie Tua
studiosissimus,

C A S P A R V S S I B E L I V S,
Ecclesiæ Daventriensis Pastor.

CONCIO PRIMA

I N
M A T T H. XVIII. vers. 1.

*Eà ipsa horâ adierunt Iesum discipuli, dicentes,
Quisnam maximus est in regno cœlorum?*



U I urbem arcemve munitam obsidione cinixerunt, eamque oppugnant, & expugnatam atq; labefactatam cupiunt, firmissima ejus propugnacula & loca munitissima omnium primò non tentant & impugnant: sed machinas murales admovent, scalas applicant, pontem injiciunt, cuniculos agunt, & impressionem faciunt, ubi muros humiles & discisos, fossas siccas vel planas, portas collapsas, turresque incustoditas esse judicant. Sic Satanæ, validus ille armatus, Luc. i. 11. vers. 21. & adversarius noster, 1. Petr. 5. 8. arcem humanae animæ & cordis obsidens, impetumque in eam facturus, muros ejus ibi primum trucibus tentationum suarum arrietibus percutere, diruere, in planum effundere, scalisque transcedere tentat, ubi humiliores, pendulos, fragiliores, ac decussu & expugnatu faciliores esse novit. Astutiam ist. hanc & artes Satanæ graphicè depinxit, atque adversus eas præclarè nos & sollicitè munivit Cyprianus, sanctus Christi Martyr, & clarissimum Ecclesiæ Lumen: *Circuit nos Diabolus, inquit, & tanquam hostis, clausos obsidens muros explorat, & tentat an sit pars aliqua murorum minus stabilis, & minus fida, cuius adita ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures per canoram*

A

DOMINICA PRIMA

oram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat & molles Christianum vigorem. Lingua convitio provocat, manum injurijs laceſentibus ad petulantiam & eisdem instigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit iuſta: ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimant: ostentat falſa, ut vera ſubripiat: & cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur: terrorem turbidet perſecutionis intentio, ad debellandos Dei seruos inquietus ſemper, & ſemper infetus: in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Quamobrem contra omnes Diaboli uel fallaces inſidias, uel apertas minas ſtare debet inſtrudus animus & armatus, tunc paratus ſemper ad repugnandum, quoniam eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus. Hæc Cyprianus, libro de zelo & livore, §. 2. Exempla in hanc rem conſpicua paſſim in ſacris Paginis obvia ſunt. Tunc demum Satanas Jobum, Virum, Deo ipſo judice, integrum & rectum timentemque Dei, & recedentem à malo, à ſpe ad desperationem revocare ſategit, cum ille omnium facultatum & chariflavorum pignorum jactura, terrimis ulceribus, aliisque graviffimis tentationibus a Deo exerceretur, ac totum ſe triftitiae & luctui dediſſet. Job. 1. & 2. capp. Davidem, Regem piissimum, omnigenarumq; virtutum exemplar illustrissimum, ad adulterium & homicidium ſolicitavit & impulit, cum ille ſecuro otio langueret, oculosque liberius atque incautiūs paſceret. 2. Sam. 11. Jo-nam Prophetam ad turpem inobedientiam, trepidamque & inconsideratam à Dei conſpectu fugam Diabolus incitavit & induxit, cum ille mandatis grauioribus & diſſicilioribus à Deo ſe onerari exiſtimaret. Ion. 1. Hiskiam, regem ſan-ctiſſimum, ad animi elationem ſuperbamque theſaurorum ſuorum oftentationem, vaferrimus ſpiritus feduxit, cum ille de bello ſecurus, in ſumma pace viveret, authoritate atq; potentiā valeret, opibusque & diuitiis afflueret. Eſai. 39. Idi-pſum Christi Apostolus eyenit. Erant illi ſtulta & inani mun-dani.

IN M A T T H. XVIII.

30

dani regni Christi ſpe fascinati, Orbisque ſe dominos fore ſolumiabant: occaſione iſtâ abuſus Diabolus, ad ambitionem eos & turpem de primatu contentioem instigavit & illexit. De iſtâ & gravi & periculosaſi Apostolorum Tentatione aliquot concionibus diſſeremus. Partes duæ ſunt:

- I. Discipulorum quæſtio & contentio de primatu. verſ. 1.
- II. Christi ad quæſtione responſio, & litis diremto. v. 2. 3. 4.

Christum Iesum ſuppliciter oro, ut mihi dicenti & docenti ſapientiam, προφήταν, corporisque & animi vires, Vobis audientibus & diſcentibus, aures patulas, cor daque docilia, credentia, & obſequentiā largia-tur. **A M E N.**

I. QUÆSTIO.

IN Quæſtione conſiderandæ veniunt circumſtantiae qua-tuor:

- I. QUANDO.
- II. QUI.
- III. QUESUMUS.
- IV. QUI Drogarint.

I. QUANDO? *Ed ipsa hora*, id est, tempore. Hæc temporis circumſtantia nos remittit ad verſum viceſimum ſextum decimi septimi capituli Euangelistæ & Apostoli Mat-thæi, ubi Christus Petro dixerat: *Nempe igitur liberi ſunt filii à tributo ſive cenuſu pendendo*. Ex his Domini verbis Apostoli perceperant, Iesum, tanquam Dei ſummi Regis populi ſui, proprium, naturalem & unigenitum Filium, non teneri ad pendendum tributum: ideoq; hinc cogitatione de regno illius (quod ſibi imaginabantur fore mundanum) ſucepta, mox de illius conſtitutione quærunt. Nimirum

7 C O N C I O P R I M A

arrectis auribus adstant Christi discipuli, ubi laeta sibi nuntiari, & ad gloriam, splendorem, & dignitatem se vocari, audiunt. Regis filij audire malunt, quām post miserum hominis Filium crucem bajulare. Petrus, transfigurationis Christi gloriose in monte iancto spectator, actutum, suavitate & majestate coelestis gloriae captus, in lætam hanc vocem erumpit: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis faciamus bic tria tabernacula, tibi unum, & Moysi unum, & Eliae unum.* Matth. 17. 4. Verū audiens de passione & morte suā Magistrum differentem, longè aliam cantilenam cecinit. Nam *prehensum eum caput objurgare, dicens: Propitius tibi esto, Domine: nequaquam erit tibi hoc.* Ibid. cap. 16. 22. Et quum jam Dominus poculum iræ divinę & acerbissimarum passionum exhausturus, hostibusque tradendus, contristaretur, & gravissimè angeretur, ac flebile illud ingeminaret, *Vigilate mecum;* Petrus cum collegis suis ne unam quidem horam cum Præceptore afflictissimo vigilare potuit. Matth. 26. v. 37. & seqq.

Ulus I. ad διδασκαλίαν.

Præjudicia, & præconceptæ opinionis retinendæ studium ægrè & difficulter ponuntur: quin homines impedit, quominus ad veritatis cognitionem perveniant. Somniabant Apostoli terrenum regnum: quicquid audiebant, illò trahebant. Imò per triennium jam, & quod excurrit, à Christo ipso in schola veritatis instituti, fermentum hoc vetus non expurgarunt. Viatores Emmauntici, Christo jam glorificato, veterem suam cantilenam canunt: *Nos sperabamus illum esse qui redemturus esset Israēlem.* Luc. 24. v. 21. Et Christo in cœlum ascensuro, Apostoli omnes quærunt: *Domine, num hos tempore restitus regnum Israeli?* Act. 1. 6. Nempe ut oculus per nebulaṁ aut aquam res objectas inspiciens,

IN M A T T H . XVIII.

ciens, falso eas metitur modo: Sic animus, qui per opinio-
nis nubem res divinas contemplatur, sinistrum atque erro-
neum de iis fert judicium. Qui oculorum lippitudine labo-
rant, nihil rectè intueri possunt: & qui viridi conspicillo uti-
tuntur, de coloribus judicare nequeunt, quum res omnes
illis virides appareant: Sic quicunque in causā religionis
cognoscendā, præconceptā aliquā opinione fascinati sunt,
veritatis cognitionem non assequuntur: quæ per se clara
sunt & intellectu facilia, summā ipsis obscuritate involuta
videntur: quæ opinioni eorum repugnant, ea depravando
ad suæ opinionis defensionem detorquent. Præjudicio hoc
falso excæcati Ephesij, *magnam sc. esse Dianam;* doctrinam
Pauli exploserunt; eodemque argumento usus civitatis Scri-
ba, seditionem ortam sedavit. *Viri Ephesij,* inquit, *quisnam
est hominum qui nesciat Ephesiorum urbem edituam esse magnæ
deæ Diane, & à Iove delapsi simulacri?* Act. 19. 34. 35. In
confesso esse jactat, & perperam à Paulo culpari obtendit,
quod in controversia versabatur. Sic qui carnalem & ora-
lem corporis Christi in sacra Cœna urgent mandationem,
hoc stant præjudicio, quasi Christus in sacra Cœna non pos-
sit percipi, nisi corpore præsens. Non ita Christus: *Ego, ait,
sum panis ille vitæ: qui venit ad me, nequaquam esuriet: & qui
credit in me, non sitiet unquam.* Joan. 6. 35. Et, Paulo teste, *Christus per fidem in cordibus nostris inhabitat.* Eph. 3. 17. Ore fi-
dei Christi carnem ederunt & sanguinem biberunt patres
Veteris Testamenti, cum nondum carnis & sanguinis par-
ticeps fuisset factus. Expressè Apostolus: *Omnis carnem
escam spiritualem ederunt: & omnes eundem potum spiritualem bi-
berunt. Bibeant enim ex sequente spirituali petra: Petra verò illa
erat Christus.* 1. Cor. 10. 3. 4. Quibus organa gustus cor-
rupta sunt, his insipida omnia aut amara esse videntur: Sic
præjudiciis occæcati omnem doctrinam respuunt, quæ pa-
lato ipsorum, fermento superstitionis & præconceptæ op-
tionis

nionis infecto non sapit. Ad lapidem hunc qui impingere nolunt, *se met ipsos ex Christi monito, abdicent.* Matt. 16.24. Carnis sapientæ renuncient: Stulti fiant in mundo, ut in Deo sint sapientes. Hoc enim est quod vult Paulus, dicens: *Nulus se ipsum seducat: si quis sibi viaetur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat, ut fiat sapiens.* Sapientia enim mundi *bujus, stultitia est apud Deum.* Scriptum est enim: *Capit sapientes in versutia ipsorum.* 1. Cor. 3. 18. 19. Nempe hic in primis illud requiritur, quod in aliis artibus periti artifices observare solent. Qui citharà perperam ludunt, & chordas ineptè tangunt, nisi quod in usu habuerunt, dediscant, citharae di boni nunquam fient. Timotheus tibicen, adventantem discipulum interrogavit, An sub alio etiam præceptore Musicae operam dedisset? Qui cum id affirmasset: *Duplicem iigitur dabis mercedem, ait, quoniam mibi duplex labor subeundus est: de docendi videlicet vetera, & docendi nova.* Alexand. ab Alexandro, lib. 2. cap. 25. Ita nisi in Dei & æternæ salutis cognitione totum illud ex animo ejiciamus, quod ex nostra natura nobis inhæret, aut quod præjudicio fascinati, verum esse putamus, aut quod nostro studio & industriâ nobis parvum est, quodque nobis & mundo magnificum existimatur, & quo diu affuevimus; nihil unquam proficiemus. Maxime autem necessarium est, ut pareamus Christi hortatui: *Scripturas scrutamini, quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere: & istæ sunt quæ testantur de me.* Ioa. 5.39. *Scripturaum ignoratio, præconceptarum opinionum causa est.* Matth. 22.29. Nam ut in tenebris ambulantes, impingunt & cadunt: Ita quibus lux verbi divini non prælucet, ex errore in errorem prolabuntur. Quemadmodum verò Deus Israélitas, per desertum in terram Chanaan contendentes, *antecebat interdiu in columna nubis, & noctu in columna ignis: ad affrendum eis lucem, ut progererentur interdiu ac noctu:* Exod. 13. 21. 22. Ita columna lucida & ignea verbi divini, dux nobis viæ

I N M A T T H . XVIII.

viz est per desertum hujus mundi in cœlestem Chanaanam. Testis David: *Lucerna pedi meo verbum tuum est, & lux itineri meo.* Psal. 119. v. 105. Davidi suffragatur Ioannes: *Hoc, ait, scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum illum Filium Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Ioa. 20. v. 31.

Uſus II. ad eorū vñq̄dōcū.

Res mundane, vitæ terrene commoditates & jucunditates, honoresque transitari sic animos hominum occupant, semper ut edaspirent, etiam tūm, cūm de rebus divinis agitur. Christus Capernaumi de jure suo regio ultrò cesserat, censum pro fe & Petro magistratu politico solverat, ac reipsa confirmārat, regnum suum non esse ex hoc mundo: neque ad regnandum se, more aliorum regum, sed ad patiendum & moriendum missum, adeoque regem spiritualē esse, perspicuē docuerat. Verū Christo de regno spirituali differente, Apostoli cogitationes ad regnum terrenum reflectebant. Multi Euangelium hodie cupiunt promotum, sed non aliā de causā, quam ut hoc pacto rebus ipsorum caducis consulatur. Ubi verò pro pace bellum, pro felicitate paupertas, pro volupitate afflictio, pro gloria ignomina, pro lætitia tristitia irrepit, & carnalia magis abneganda quam ambienda esse audiunt. Demā imitantur, de quō Paulus: *Demas me deseruit, amore induitus præsentis seculi.* 2. Tim. 4.10. Nimis propter panem & commoda terrena Christum sequuntur: ut jure illis exprobrari possit Christi illud ad turbam Iudeorum: *Amen amen dico vobis, queritis me, non quia vidistis signa, sed quia edictis panes illos & saturati es sis.* Ioa. 6.26. Ecquid indignius, quam se & affectus suos ad res humiles adeo & contētras demittere, ut in miraculis, nō divine potentia experientiā, sed ventris pastū quæras? Christumq; animarum nostrarum pastorem, in gregarium aliquem sitarū chum

chūtransformes? Nihil quidē deest regnū Dei quārentibus, dummodo forte suā contenti sint: non est tamen Euangeliū ventris, sed animi pabulū. Corpora nostra cibat & refocillat Christus, sed non in alium finē, quām ut animorū se pabulū esse ostendat. Dat corporis pabulū coelestis Convivator, sed tanquam spiritualis pastus condimentum: sine quo cibo condimentum ipsum toxicum est. Dat, instar sponsi, sponsa suā armillas & annulos, non ut hæc in illis acquiescat, sed ut ad Sponsi sui amorem excitetur. Qui Christi & Euangelij professionem terrenis metiuntur commodis; his gratum quidem est ver atque ætas anni gratiæ: sed in autumno vacillant, ac in bruma deficiunt. Christus eos terræ petrosæ comparat: *Qui, inquit, super petram semen excipiunt, sunt y qui quum audierint, cum gaudio accipiunt sermonem: & isti radicem non habent, qui ad tempus credunt, & tempore temptationis abscedunt.* Luc. 8. 13. Hujusmodi verbi auditores Christique aseclæ molliusculi, vel minimam contumeliam, nedium jactaram, ob Euangelij confessionem, detrectant. Nam perinde est, talibus verbum audientibus, ac si in terram saxosam semen incidat. Ob succi enim defectum, nullam aut inanem spicam protert. Sole igitur asso, h.e.tentatione incumbente, exarescit, quicquid enatum fuerat. Tales radice destituantur, id est, fidei πληροφορίας, quā Deus, pro diuite sua gloria, verè cedentes fortiter corroborat per Spiritum suum in interiore homine. Eph. 3. 16. Credere quidem videntur isti vertumni, sed fides eorum temporaria est. Veraenim fides, quæ est πεποιθήσις (ut ita dicam) cordialis & filialis, de misericordia, erga te, Dei, nunquam amitti potest: quippe donum Dei ἀμεταμέλυτον. Ac licet cum gaudio sermonem se accipere simulent; gaudium tamen illud, non cordis, sedoris est: quod quale sit, Paulus explicat, nempe gustus duntaxat doni cœlestis & gratiæ Dei. Hebr. 6. 4. Interim famem sitimque suam terrenis explent. Nos cogitemus, regnum Christi,

esse

esse regnum crucis; cuius signum, spinea illa corona fuit, quā capiti ejus milites imposuerunt. Euangeliū, est sermo crucis. 1. Cor. 1. 18. Insignia civium Christi, crux rubea in area candida. Neque aliter patet via ad regnum lucis & gloriæ, quām per afflictiones. Stat, stetit, stabit Dei decreto firmatum illud: *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Act. 14. 22. Christus de Ecclesia, Sponsa sua, pronunciat: *Vt lily inter spinas, ita est amica mea inter filias.* Cantic. 2. 2. Spinæ, quibus amica Christi, à primis suis incunabulis, in hanc usque decrepitam mundi senectam, semper & graviter sauciata, nec dum sauciari desinit, sunt calamitates, & persecutiones. Satanas à mundi primordiis, juxta civitatem Dei suas excitavit arces, sua dispoluit præsidia, quibus hostiles in Ecclesiam irruptiones faceret, &, si fieri posset, è fundamentis eam subverteret. Præsidia hæc è Cainitis primùm delegit, quos adversus Sethitas concitat, aureumque seculuni illud immanis latro cruentavit. In servitute Ægyptiaca sub Pharaone, Ecclesiæ ærumnæ supra modum invaluerunt, nec nisi miraculosis Ægypti decem plagis finiri potuerunt. Sub Iudicibus quid non peressa est amica Christi? Seculis vix tribus in captivitatem sexies abstractæ in sacris Literis legitur: sub Syriae & Mesopotamiae rege, Iudic. 3. 8. sub Heglone, Moabitarum rege. Ibid. verl. 14. sub Iabine rege Chanaanæo. Ibid. cap. 4. sub Midianitis. cap. 6. 1. sub Philistæis & Ammonitis. capp. 10. 13. & seqq. Neque mitior sub Regibus Ecclesiæ fors fuit; Sub Hoscheah decem in Assyriâ tribus abductæ, perpetuo multatæ exilio, nunquam redierunt. 2. Reg. 17. Assyricâ captivitatem exceptit Babylonica annorum septuaginta, è qua dimissum Dei populum iniquè Persarum vexationes penè attriverunt. Neq; instaurato jam templo & urbe, satis tuta fuit quies, aut constans securitas. Horrendæ enim è Syria, Italia, aliisque regnis ortæ tempestates gra-

C O N C I O P R I M A

vissimè Ecclesiam affixerunt, & tantum non oppresserunt. Nato jam Christo, promisso Messia, & Ecclesiae Sponso, quantæ, quæso, desideratissimum hunc pacis Principem ejusque amicam persecutionum exceperunt spinæ! Parturientem mulierem antiquus ille Draco, Herodis usus ministerio, sollicitè observavit, ut infantulo recens nato in ipsis vitæ primordiis spiritum elideret: quam in rem immane ~~raidoꝝ reylas~~ consilium cepit, tenellorumque martyrum sanguine Iudæam imbuit. Matth. 2. Herodi Phariseos substituit, qui virum jam Messiam omnibus adorti machinis ad necem tandem quæsiverunt & rapuerunt. Neque meliorem discipulorum & secutæ Ecclesiae fortæ futuram, ipse prædictus Servator: *In mundo afflictionem habebitis.* Ioan. 16. 33. *Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Ibid. cap. 15. 20. Experti hoc Apostoli: experti Apostolorum successores, adeò ut characterem quasi indelebilem fronti impressam crucem cum sanctis Antistitibus Ecclesia circumferat: quod inter ipsa nascentis Ecclesiae exordia quasi, omnium Apostolorum nomine, fanxit Paulus: *Omnes qui volunt p̄c vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* 2. Tim. 3. 12. Hic ne Ecclesiae deësset character, ab Imperatoribus & Pontificibus Romanis strenuè allaboratum. Hi enim horrido asperoque senti ceto Redemptoris nostri Sponsam ita circumdederunt, ut vel caput reclinare, nisi faucia nuspiam potuerit. I estes nobis locupletes historiæ seculares & Ecclesiasticae. Famosæ illæ decem persecutiones sub Nerone, Domitiâno, Trajano, Adriano & Antonino Pio, Antonino Philosopho, Antonino Vero, Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximiano, Galerio & Maxentio, ad annum usq; Christi trecentesimum, quem non Imperii Romani angulum Christiano sanguine rigarunt? *Quisquis Christianum se confitetur, decernit Nero, tanquam generis humani convictus hostis, sine ulteriore sui defensione, capite plectitur.* Sub Decio, inquit Cyprianus, *Dei chari domo privabantur, patrimonio spoliabantur, catenis premebantur, carceribus includebantur, bestiis objiciebantur, ignibus puniebantur.* Neq; hic omittenda mentio Constantii, Juliani & Valentis Arianorū, qui coeptam à majoribus persecutionū telam omni studio pertexuerunt. Cum penè saturati jam essent Christiano sanguine, & satiati coedibus Imperatores, vicariâ præstitâ operâ in Imperio Romano & extra illud barbari Principes & Reges, Persæ, Gothi, Vandali, Longobardi, Saraceni & Turcæ, qui Orientem & Occidentem innocentib[us] Christianorū sanguine obruerunt. Iotas verò Ecclesiae Christi spinas tot ictibus obtusas, & sanguine tām diuturno propemodū putres, Romani Pontifices denuo acuerunt, & ut gens illa portentorum & miraculorum ferax est, velutī arefactam Aharonis virgam, vigori suo, sacerdotali quādam prærogativâ, restituerunt. Unde acutiores, sequentibus seculis, in Sponsam Christi sunt spinæ impactæ, vel ipsis sanctorum illorum Patrum, vel vicariis Principum secularium, amore meretricis magnæ infariantium, manibus. Testis Hispania, Italia, Anglia, Gallia, Belgium, & tota Germania. Maria Christiani sanguinis haufit Belgium: haufit Gallia, quæ à Colloquio Poissaceno, anno 1562. Martyrum cæla vidit C C C M. Grudeliūs in Christianorum viscera nunquam sœvitum: ubi humanitate omni exutâ, belluina feritate assumere homines, & cælorum viscera dilaniârunt. Sancta illa Hispanica Inquisitio, Ecclesiae Christi extirpandæ, obstetricantibus Romanis Pontificibus, nata, ecquem Hispaniæ angulum non cruentavit? Nostrorum taceo temporum cædes & exilia, quibus penè attrita Christi Ecclesia, cum animabus illis Apocalypticis ingemiscit & exclamat: *Vsquequid, Domine, qui sanctus es & verax, non judicas, & sanguinem nostrum vindicas, eum reposendo ab iis qui habitant in terra?* Apoc. 6. 10. Eadem si nobis quoque fors

I N M A T T H. XVIII.

ulteriore sui defensione, capite plectitor. Sub Decio, inquit Cyprianus, *Dei chari domo privabantur, patrimonio spoliabantur, catenis premebantur, carceribus includebantur, bestiis objiciebantur, ignibus puniebantur.* Neq; hic omittenda mentio Constantii, Juliani & Valentis Arianorū, qui coeptam à majoribus persecutionū telam omni studio pertexuerunt. Cum penè saturati jam essent Christiano sanguine, & satiati coedibus Imperatores, vicariâ præstitâ operâ in Imperio Romano & extra illud barbari Principes & Reges, Persæ, Gothi, Vandali, Longobardi, Saraceni & Turcæ, qui Orientem & Occidentem innocentib[us] Christianorū sanguine obruerunt. Iotas verò Ecclesiae Christi spinas tot ictibus obtusas, & sanguine tām diuturno propemodū putres, Romani Pontifices denuo acuerunt, & ut gens illa portentorum & miraculorum ferax est, velutī arefactam Aharonis virgam, vigori suo, sacerdotali quādam prærogativâ, restituerunt. Unde acutiores, sequentibus seculis, in Sponsam Christi sunt spinæ impactæ, vel ipsis sanctorum illorum Patrum, vel vicariis Principum secularium, amore meretricis magnæ infariantium, manibus. Testis Hispania, Italia, Anglia, Gallia, Belgium, & tota Germania. Maria Christiani sanguinis haufit Belgium: haufit Gallia, quæ à Colloquio Poissaceno, anno 1562. Martyrum cæla vidit C C C M. Grudeliūs in Christianorum viscera nunquam sœvitum: ubi humanitate omni exutâ, belluina feritate assumere homines, & cælorum viscera dilaniârunt. Sancta illa Hispanica Inquisitio, Ecclesiae Christi extirpandæ, obstetricantibus Romanis Pontificibus, nata, ecquem Hispaniæ angulum non cruentavit? Nostrorum taceo temporum cædes & exilia, quibus penè attrita Christi Ecclesia, cum animabus illis Apocalypticis ingemiscit & exclamat: *Vsquequid, Domine, qui sanctus es & verax, non judicas, & sanguinem nostrum vindicas, eum reposendo ab iis qui habitant in terra?* Apoc. 6. 10. Eadem si nobis quoque fors

C O N C I O P R I M A

assulgeat; ne offendamur in Christo. Matth. 11. 6. Mundum, qui totus in illo improbo jacet, 1. Ioan. 5. 19. relinquamus mundi filiis, qui cum mundo peribunt. Circumsonent aures nostræ monito Christi: Quærите primum regnum Dei, & justitiam ejus: & ista omnia adjicientur vobis. Matth. 6. v. 33. Nec obliviscamur hortatus Apostolici: Si resurrexisti cum Christo, superna querite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens. Superbia curate, non terrestris. Col. 3. 1. 2. Contenti simus forte nostrâ, sive lauta illa sit, sive misera & tenuis. Stemus in vestigiis Pauli, qui ita de se: *Ego*, inquit, *didiici*, in quibus sum, iis ipsis contentus esse. Novi autem deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus iniciatus sum, & ad satiavitatem & ad resurrectionem, id est, tunc ad exundantiam, tunc ad penuriam. Omnia valeo per eum qui me corroborat, nempe Christum. Philip. 4. v. 11. 12. 13. Habuit hæc talia ante animi oculos Moses: Per fidem Moses jam grandis renuit vocari filius filie Pharaonis: potius eligens simul malis. versari cum populo Dei, quam temporariam retinere peccati fruitionem: maiores ducens divitias probrum Christi, quam Ægyptiorum thesaurorum. Intuebatur enim in præmij retributionem. Hebr. 11. v. 24. 25. 26. Persuasissimū habuit sanctus Dei Vir, si adoptione regiæ se abdicaret, tunc sibi adoptionem Dei constatarum: si fruitionem peccati, eamque per brevem, contemneret, bona conscientia, quæ juge convivium & perpetua lætitia est, se perfruendum: si denique thesauros Ægypti linqueret, veris atque aeternis bonis se ditatum iri.

II. Qui rogârunt? Discipuli. Per hos intelliguntur duodecim Apostoli, qui nati ἐξ οὐρανοῦ hoc nomine insigniuntur. Matth. 10. 1. quibus septuaginta συνεργοῖς Christus adjunxit. Luc. 10. 1. Et meritò quidem hoc nomine Apostoli Christi vocati fuere; tunc quod quæ ad salutem scitu, creditu, speratu, & factu sunt necessaria, eos doceret. *Vos*, inquit, dixi amicos; quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.

Ioan.

I N M A T T H. X V I I I.

Ioan. 15. v. 15. tunc quod firmiter Praeceptoris suo, rebus tamen adversis quam prosperis, adhærerent. Rotundè Petrus Christo dicit: Ecce, nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te. Matth. 19. 27. tunc quod monitis & voluntati ejus parerent. Inde est illud Christi ad discipulos hosce suos: In hac re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis: & eritis mei discipuli. Joan. 15. 8. tunc quod castigationes & reprehensiones ejus æquo ferrent animo, uti probi & ingenui discipuli assolent. tunc denique quod vestigiis ipsius insisterent, memores mandatorum ejus: Discite à me quod mitis sim & humilis corde. Matth. 11. 29. Exemplum præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis. Ioan. 13. 15. Paulus Corinthiis inculcat illud: Imitatores mei estate, sicut & ego Christi. 1. Cor. 11. 1. Neque sequius Petrus: Christus reliquit nobis exemplar, ut subsequeremini vestigia ipsius. 1. Epist. 2. 21. Hi discipuli, qui in tanta doctrinæ Christi luce versabantur, stultam istam quæstionem moverunt: non viri abjecti, & à Christi consortio alieni. Qui humilitatis futuri erant praecones, ambitionem suam inanem atque dementem produnt. Qui humilitatis exemplum sibi in Magistro propositum quotidie intuebantur, de primatu litigant. Quibus Dominus ipse serviebat, imperare volunt. Intoleranda ruditas, quod tamen absolutè, tantaque curâ per triennium instituti, non minor rem inficitiam produnt, quam si nullum unquam verbum de regno cœlorum salutisque via audivissent.

Uſus I. ad διδαχαλίαν

ETiam qui sanctissimi habentur, nævis & defectibus suis laborant. Agnovit id Salomon, qui omnibus cum suis superioris temporis memorie hominibus sapientiae laude præstitit. Disertè enim ait: Nemo est qui non peccet. 1. Reg. 8. 46. Nec aliter Jacobus Apostolus, quem Paulus.

Gal. 2. 9. cùm Ecclesiæ columnis annumerat: *In multis, inquit, impingimus omnes.* Iac. 3. 2. Nimirum ægrotis similes sunt homines regenerati. Illis cordi quidem est & curæ sanitas, ac proinde solicite cùm diætam observant, tûm pharmacis præscriptis utuntur. Verùm sæpenumerò ob corporis intemperiem (quantumvis medici præcripta diligentissimè exequantur) in pristinum morbum relabuntur: & sic medicum de integro accersere atque consulere necesse habent. Eundem in modum filiis Dei serum est Deo placendi obtemperandique cordis studium & cura. Sed propter peccatum in illis inhabitans, crebrò impingunt ac deficiunt, unde novâ, vel potus assiduâ ac nunquam interruptâ, resipiscientiâ supplices se coram Deo incurvare coguntur. Audite suspirantem, ac cum sensu imperfectionis atque infirmitatis suæ magno molimine luctantem Paulum: *Non facio bonum quod volo: sed malum quod nolo, hoc ago. Quod si id facio ego, quod ego nolo, non amplius ego id perpetuo, sed peccatum quod in me habitat, id perpetrat.* Invenio igitur mihi volenti facere bonum hanec legem impositam esse; quod si malum adjaceat. Delector enim lege Dei quod ad interiorem hominem. Sed cerno aliam legem membris meis belligerantem adversus legem mentis meæ, & captivum redendant me legi peccati, quæ est in membris meis. *Aerumnosus ego homo quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Rom. 7. 19.—24. Magui Ecclesiæ soles, eclipses & deliquia vel fidei, vel sanctitatis, vel patientiæ suæ nonnunquam patiuntur, obscuranturque alii ad plures, alii ad pauciores digitos: ut omnes in perpetuò lucentem Solem justitiæ, Christum, intenti, luminis fidei suæ constantiam, rádiorumque sanctitatis & patientiæ accretionem, inde quotidie petant. Apostoli ambitionis œstro perciti, & errore de mundani aliqui regni Christi splendore decepti, stultè primatum in terris affectant. Noachus, justitiæ præco, turpi se ebrietate obstringit. Moses, fidelis in tota domo Dei famulus,

Deoque

Deoque familiarissimus, ipse sibi maculam incredulitatis inussit. Abrahamus, Dei amicus, ac credentium omnium pater, metu mortis, mendacio se polluit, & Sarra, uxoris suæ, pudicitiam prostituit. Lotus, vino somnoque quasi sepultus, incéstum commisit. David, Vir secundum Dei cor, adulterio, homicidio, & animi elatione se coinquinavit. Salomon, quo sapientiorem mundus uon vidit, in idolatriam & vagas libidines prolapsus est. Petrus, Apostolorum primus, ter Servatorem suum abnegavit. Nimirum caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcunque voluerimus, eadem faciamus. Gal. 5. v. 17. Quemadmodum Deum nonnisi ex parte, ac per speculum & enigma in hac vita cernimus & cognoscimus: 1. Cor. 13. 9. 12. Ita eundem non nisi ex parte & imperfectè diligimus. Perfectio fidelium, si qua est, in eo consistit, ut imperfectos se esse fateantur. Ut hic palam appareat, optimo niti fundamento verba Iohannis: *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ip'sos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata, & muudet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus nos non peccasse, mendacem facimus eum, & sermo ejus non est in nobis.* 1. Epist. 1. vers. 8. 9. 10. Plurimi sunt & medici & chirurgi, qui cùm occurrit opulentus aliquis valetudinarius, majoris lucri causa, diutius in ipso curando immorantur: Ita Deus, medicus cœlestis, tardius nos ab animæ morbis liberat, ut ipsius auxilio indigentes, ad ipsum quoque indesinenter configiamus, ab eoque toti pendeamus, sicutque magis ac magis ipse in nobis glorificetur. Sic Paulum Deus cum gravissima tentatione colluctari voluit, ne revelationibus divinitus sibi factis, aliisque donis, quibus longè aliis excellebat, superbiret. Ipse loquatur: *Ne, inquit, supereminentia revelationum supra modum efferrer, datus est mihi surculus infixus carni,*

nen

nempe angelus Satan, ut me colaphis cædat, ne supra modum effar. Super hoc ter Dominum rogavi; ut abscederet à me. Sed dixit mihi, Sufficiat tibi grātia mea: nam potentia mea per infirmitatem consummatur. Libentissimè igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, ut tanquam in tabernaculo inhabitet in me potentia Christi. 2. Cor. 12. 7. 8. 9. Quemadmodum ex ipsa viperæ carne remedium præalentissimum adversus ejusdem morbum componitur: Sic Deus ex infirmitatibus post regenerationem in nobis adhuc superstibis, iisque venenatis & ipsius judicio detestandis, salutare conficit remedium, ad corrigendum & reprimendum reliqua vitia & morbos illis perniciosiores, nempe arrogantiam & vanam virtutum nostrarum confidentiam, Deique contemptum & oblivionem, ac similes pestes alias, quæ nos subito è vivis tollerent, nisi remedium statim illis adhiberetur. Quibus sane optimus Deus noster medetur, qui discrimen in quo versamur probè cognoscens, patris instar, studiosius, quam nos ipsi, salutem nostram curat.

Uſus II. ad auditas.

NON Apostoli duntaxat, & qui eis adjuncti fuere septuaginta adjutores & cooperarii, *discipulorum Christi* nomine insigniuntur: sed commune hoc nomen est omnibus, qui per Euangelii prædicationem & sacrum Baptismum, ad Christum adducuntur, ipsique sua dant nomina. Huc pertinet phrasis illa Christi: μαθητευσατε τὰ ἀνθρώπην, q. d. *discipulate*, h. e. *discipulos facite omnes gentes*. Matth. 28. 19. Paulus & Barnabas *Derbe euangelizantes, discipulos multos fecisse* dicuntur. Act. 14. 21. Qui nunc Christiani appellantur, *primitus nominati fuere discipuli*, Lucâ teste. Ibid. cap. 11. v. 26. Neque viri duntaxat nomine *discipulorum* nuncupati fuere: Ibid. cap. 21. 4. sed etiam mulieres, *discipularum*,

ut;

uti exemplo Tabithæ liquet. Ibid. cap. 9. 36. Id ergo indagandum & expendendum, quomodo filii Dei officium *discipulorum Christi* exequi & tueri debeant. Sunt autem tria objecta, ad quæ, tanquam certum præfixum scopum, omnes & singuli Christiani seu *Christi discipuli*, in omnibus suis dictis & factis, affiduè & studiosè respicere debent; Deus, Proximus, Ipsi. Deo placere; Proximum ædificare; Suam ipsorum salutem promovere, enixè studebunt. Hinc nata aurea illa regula, à Paulo Christi discipulis præscripta: *Piè & justè & temperanter vivamus in presenti seculo*. Tit. 2. 12. Piè, putà erga Deum, vivunt; qui omnium suorum sermonum & actionum, unicam normam, Dei verbum, sanctam gubernatricem, veram in Christum fidem, & finem supremum, Dei gloriam constituant. Justè se erga proximum gerunt; qui omnibus suis verbis factisque illud Pauli monitum exprimunt: *Vnusquisque nostrum proximo placeat in bonum, id est, ad ejus ædificationem*. Rom. 15. 2. Hi reaple testantur, unicè se pensi habere perfectam illam sanctamq; charitatis regulam, quam coelestis Praeceptor discipulis suis commendat, dicens: *Quocunque volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite eis*. Matt. 7. 12. Denique temperanter erga seipso vivunt Christi discipuli; quando in omnibus suis actionibus & sermonibus ad isthanc Paulinam collimant exhortationem: *Retine bonam conscientiam*. 1. Tim. 1. 19. Eam qui negligit & posthabet, seipsum perdit. Cui cor suum testimonium sinceritatis non perhibet; nec pietate Deum, nec charitate & justitiâ proximum ritè exhilarare potest, juxta pronunciatum Ioannis: *Per hoc cognoscimus nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddimus corda nostra*. Nam si nos condemnem cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia. Dilecti, si cor nostrum nos non condemnem, libertatem loquendi habemus apud Deum. 1. Epist. 3. v. 19. 20. 21. Haud ignotum id Paulo: *Ipse me exerceo, inquit, ad conscientiam habendam sine offensa a-*

C

pud

CONCIO PRIMA

per Deum, & apud homines semper. Act. 24. 16. Quæ generatim hactenus de discipulorum Christi officio exposuimus; speciatim jam persequenda sunt.

Ac primò quidem pietatem erga Christum Praeceptorem, exemplo terrenorum discipulorum, colere debent. 1. Discipuli probi mandatis præceptoris parent, ac præcepta auribus instillata observant & memoriam retinent. De Baruco discipulo Ieremiæ scriptum extat: *Fecit Baruc filius Neriæ omnino prout præceperat ipsi Ieremias Propheta.* Ierem. 36. 8. Haud aliter de suis discipulis Magister coelestis Christus: *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis.* Joan. 8. 31. Quare qui genuini Christi discipuli haberi cupiunt, Iacobo Apostolo monitore, celeres sint ad audiendum: neque tantum auditores sint sermonis, sed etiam effectores. cap. 1. 19. 22. Discipuli lautiorem & meliorem sortem non ambiunt, quam eas sit, quam præceptorem contentum esse oportet. Huc facit illud Christi: *Non est discipulus supra doctorem, neque servus supra dominum suum.* Sufficiat discipulo ut sit sicut docto*ri* ipsius: & ut servus sit sicut dominus ipsius. Matth. 10. 24. 25. Decet & nos acquiescere in sorte Praeceptoris nostri. Ille de se dicit: *Nonne hec oportuit pati Christum, & introire in gloriam suam?* Luc. 24. 26. Sic Paulus & Barnabas confirmatur animos discipulorum Christi, dixerunt: *Oportere per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei.* Act. 14. v. 22. Sed juxta stat consolatio illa: *Si cum Christo patimur, cum eo etiam glorificabimur.* Rom. 8. 17. Hoc se solatio Joannes in exilium pulsus erigit: *Ego Joannes, socius in afflictione & in regno & patiente expectatione Iesu Christi.* Apoc. 1. 9. Omnem exspectationem superat dulcissimum illud & amplissimum promissum, quod discipulis suis afflictissimis Christus fecit: *Vos icti estis qui permanefistis tecum in temptationibus meis.* Ego vero pacis cor vobis, prout pactus est mihi Pater meus regnum, ut edatis & cibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thronos, iudicantes

cantes duodecim tribus Israël. Luc. 22. 28. 29. 30. 3. Discipulus diligens, præceptoris sui gaudium, decus, atque corona est: Christi discipuli gloriam supremi sui Praeceptoris pro viribus amplificare debent. Quomodo id fieri debeat, ex ore Christi discamus. In hac re, ait, glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis, & eritis mei discipuli. Ioan. 15. 8. Rursus: *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificantque Patrem illum vestrum qui est in caelis.* Matth. 5. 16. 4. Ingenui discipuli præceptorem suum reverentur, & studiole carent, ne indignationem ejus in se convertant. Vitemus & nos iram coelestis Doctoris, non tam formidine poenæ, quam virtutis amore. Nam reverentia Iehovæ est caput scientiæ. Prov. 1. 7. Ejusmodi providus, Deique reverentissimus discipulus fuit Iosephus; qui ad adulterium à lasciva hera solicitatus, masculo planè animo respondit: *Quomodo facerem malum hoc maximum, & peccarem in Deum?* Genes. 39. 9. 5. Discipulus frugi præceptorem de rebus ignotis dubisque interrogat. Nostrum est, os Christi consulere: Esai. 30. 2. qui responsa nobis optata & salutaria dat in verbo suo. Certè David vix ipse sibi satisfacere potest in canendis encomiis verbi divini: *Doctrina, inquit, Iehovæ integra est, restituens animam: testimonium Iehovæ verax, sapientiam afferens imperito,* Mandata Iehovæ sunt recta, latificantia animum: *præceptum Iehovæ purum, illustrans oculos.* Psal. 19. 8. 9. Quæstionem nullam moveare poteris, quin mox responsum ad eam ex verbo Dei sis laturus. Interroganti, quid mediæ in morte sperandum? respondebit Christus: *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam.* Joan. 5. 24. *Ego sum resurrectio & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet.* Ibid. cap. 11. 25. Quærenti tibi, quid exspectandum in precibus? mox exspectationi tue occurret Praeceptor,

C O N C I O . P R I M A

ceptor, responsum: *Amen amen dico vobis, quaeunque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.* Ibid. cap. 16. v. 23. Sciscitanti, quid solatii in afflictionibus? responsum hoc tibi habeto: *Invoca me tempore angustiarum; eripiam te, ut honore afflictias me.* Psal. 50. 15. Roganti, quid consilii in temptationibus? hoc ab eo responsum feres: *Sufficiat tibi gratia mea: nam potentia mea per infirmitatem consummatur.* 2. Cor. 12. 9. Percontanti, quid auxilij in paupertate? istud te dignabitur responde: *Nequaquam te omittam, neque unquam te deseram.* Hebr. 13. 5.

Jam porrò expendamus, quomodo se Christi discipuli erga alios, ac in primis condiscipulos suos, gerere debeant.

1. Discipuli fraterno amore sodales, & comamiltones suos in Musarum castris, prosequuntur: & experientia testatur, firmum atque sincerum esse amorem condiscipulorum, qui in ipsam senectutem dixerit. Id ipsum Christus à discipulis suis exigit. Ipsius audianus. *Præceptum novum dico vobis, ut alij alios diligatis: sicut, inquam, dilexi vos, ut vos etiam diligatis alij alios.* Ex hoc omnes cognoscunt, vos esse discipulos meos, si charitatem habueritis alij in alios. Ioan. 13. 34. 35. Et sane, non jucundum solum hoc & bonum est, sed etiam utile & necessarium. David canit: *Ecce quām bonum & quām amānum est, habitare fratres etiam unda.* Est ut unguentum illud præstans, fumum super caput, descendens super barbam, barbam Abaronis: quod descendit super os vestium ejus. Est etiam ut ros Hermonis, ut ros qui descendit super montes Tisjonis, nam illic mandat Iehova benedictioni, & vitæ usque in seculum. Psal. 133. vers. 1. 2. 3.

2. Discipuli probi condiscipulis suis aliisque exemplo diligentiae, obedientiae, & modestiae præludent: quin & doctores rudes & indoctos juvant, & qui altioris sunt profectus, eos qui tantos in studiis progressus non fecerunt, erudiunt. Id ipsum Christi discipulos decet. Significanter Paulus: *Observemus alij alios, ut nos accuamus ad charitatem & bona opera.* Hebr. 10. 24. Uberius adhuc: *Eum qui fide est infirmus, assumite.*

I N M A T T H . X V I I I .

Sumite. Röm. 14. 1. A quo non diffidet illud ejusdem: *Debemus nos, qui firmi sumus, infirmitates imbecillorum portare, ac non indulgere nobis ipsis.* Ibid. cap. 15. 1. Speciatim id olim Petro injunxit Christus: *Tu quum conversus fueris, stabili frateres tuos.* Luc. 22. 32. Neque frustra id erit. Sicut enim ille qui propter præceptorem discipulo benefacit, mercedem ab ipso præceptore reportat, qui beneficium discipulo, in nomine suo, præstitum, in se collocatum æstimat: Ita Christus sibi factum cenit, quicquid in fratres & discipulos suos erogatum & collatum est. Nota sunt pronunciata munificentissimi Servatoris: *Quicumque potum dederit uni ex his parvis poculum frigidæ solum, nomine discipuli, amen dico vobis, non perdidet mercedem suam.* Matth. 10. 42. *Amen dico vobis, quatenus id fecistis uni ex istis fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ibid. cap. 25. 40. Nempe stat illud Pauli: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis, quam ostendistis erga ipsum nomen: ut qui ministraveritis sanctis, & misericordiis.* Hebr. 6. 10.

Restat ut explicemus, quales se Christi discipuli erga *semetipſas* præstare debeant, tūm in Ingressu suo in scholam coelestis Præceptoris, tūm in Progressu.

In ingressu duo ab ipsis requiruntur. 1. Discipulum verâ sui ipsius cognitione præditum esse, humilemque de se opinionē habere oportet, ut suæ sibi ruditatis & ignorautię probè conscient, institutione se & doctrinâ opus habere agnoscat. nam animi elatio profectus omnis impedimentum est. Hinc natum est illud: Multi ad veram scientiam & sapientiam pervenirent, nisi jam ede pervenisse putarent. Sic Christi scholam frequentaturi, ante omnia in scitiam & cæcitatatem suam agnoscere debent, juxta illud: *Nullus se ipsum educat: si quis sibi videtur esse sapiens inter vos in hoc seculo, stultus fiat ut fiat sapiens.* 1. Cor. 3. v. 18. Ut inflatus inanis in ventre insidens, concoctionem lædit: Sic inflatio, & tumida propria

scientiae opinio atque jactatio, animae sanitatem impedit, aditumque ad sapientiam ac scientiam veram praeccludit. Hoc nomine Christus Antistitem Laodicensium perstrinxit: hunc fontem exitii ipsius afferit: *Dicis, diversum, & nullare mihi est opus: Neque nosti te esse aerumnosum, & miserabilem, & pauperem, & cæcum, & nudum.* Apoc. 3. 17. Ergo agnoscamus nos naturam amentes & errantes. Tit. 3. 3. Stemus in vestigiis Æthiopis Eunuchi, quilegens Esaiam Prophetam, & rogatus a Philippo; nempe intelligis que legis? ingenuè respondit: *Quinam enim possum, nisi mihi quispiam dux via fuerit?* Act. 8. 30. 31. Sic instituturus nos est cœlestis Praeceptor. Nam testimonium Iebovæ verax est, sapientiam afferens imperito. Psal. 19. 8. Atque ut Eliseus Propheta oleum non infudit, nisi in vacua viduæ obæratae vasa. 2. Reg. 4. 3. Ita cœlestis Eliseus oleum institutionis veræque sapientiae non nisi in vasa ab opinionis propriæ sapientiae cordibus expurgata, est infusurus. Verè ut cecinerit Maria, mater Domini: Deus forte facinus fecit brachio suo: dissipavit superbos cogitatione cordis ihsorum. Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes. Luc. 1. 51. 53. Hoc Patris sui cœlestis decretum atque consilium, hanc sapientissimam ejus dispensationem Christus Praeceptor noster summusque Propheta prædicat, exclamans: *Gloriam tibi tribuo Pater Domine celi & terre, quod occultaveris à sapientibus & intelligentibus: & ea retexeris infantibus. Etiam Pater, quia ita placuit tibi.* Matth. 11. 25. 26. 2. A discipulo scholam ingressuro, firmum cordis requiriatur propositum de studiis serio tractandis, ac duris adversis que omnibus toleranter ferendis & constanter superandis, donec studiorum metam contigerit. Hoc scuto difficultates omnes vincere atque amoliri potest. Ita Christi scholam ingressuri, sancto hoc proposito animum obfirmabunt, velle se bonum facere, malum odiisse & fugere, ac ad Praeceptoris cœlestis nutum totos se conformare. Hoc propositum,

hæc

hæc cogitatio arma illa, de quibus Petrus: *Quum Christus passus sit pro nobis carne, vos quoque eadem cogitatione armamini, nempe quod qui passus est in carne, destitutus à peccato: ut non amplius cupiditatibus hominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est: temporis vivat.* 1. Epist. 4. 1. 2. His armis pravas carnis suggestiones, dolosas mundi illecebras, ac fallaces Diaboli in suam nos scholam blandè invitantis insidias vincimus, nihilque tam arduum, tam molestum, tamque difficile nobis obtingit, quod non superemus. Ideo Barnabas Antiochenos ad Dei cultum & sedulam salutis curam exstimulaturus, *hortatus est omnes ut proposito cordis cum Domino permanerent.* Act. 1. 1. 23. Hoc proposito se armabant tres socij Danielis, Sadrach, Mesach & Abednego; ideo tentati ad idolatriam, fidem suam in Deum testati sunt, quem neque vitæ pretio, neque metu mortis abnegare vellint: *Nebucadnetzar, inquiunt, ut respondeamus tibi, non sumus solliciti de hoc negotio: Sive futurum est, ut Deus noster quem nos colimus, qui potens est ad eripiendum nos; à fornace ignis accensâ & à manu tuâ, ô Rex, eripiat nos; sive non; notum sit tibi, Rex: deos tuos no: non esse culturos, & imaginem auream quam erexisti non adoratu:.* Dan. 3. vers. 16. 17. 18. Nimirum penitus cordibus eorum infixum erat, ne latum quidem unguem se à legitimo Dei cultu discedere velle. Cyprianus, quæsusitus ad supplicium, religionis Christianæ caufa, quum suaderent Imperatoris aulici, ut deliberaret, quid faceret, & vitæ suæ parceret, memorabilem illam vocem protulit: *In re tam sancta nulla deliberatio.* David contra obmurmurationem & blasphemiam adversus cœlestis sui Praeceptoris voluntatem & Providentiam animum sum pio illo proposito obvallavit: *Dixeram, Observabo vias meas, ne peccem lingua meâ: servabo circa os meum capistrum, tantisper dum improbus erit coram me: obmuleram silentio.* Psal. 39. 2. 3. Hoc proposito armatis nobis jugum Christi Praeceptoris

C O N C I O P R I M A

ptoris facile est, & onus ejus leve. Matth. 11. 30. Quo sensu Ioannes quoque affirmat, regeneratis precepta Dei non effugia via. 1. Epist. 5. 3.

In Progressu variæ discipulis probis commendantur virtutes. 1. Palmam hic fert diligentia, quâ unâ reliquæ omnes virtutes continentur, & quæ omnia vincit. Ecquid enim tam difficile, tam abstrusum, tam durum, quod diligens discipulus non didicerit, invenerit, & superarit? Praeclarè Salomon : *Anima sedulorum efficietur pinguis, sc. eruditione, scientiâ, & cæteris animi corporisque bonis. Prov. 13. 4. A quo non ablutus illud ejusdem : Cogitationes sedulî, tantum emolumento sunt. Prov. 21. 5.* Sed nec prætereundum istud Vatis Regii: *Vidisti virum diligentem in opere suo? ante reges consistet, non consistet ante obscuros. Ibid. cap. 22. v. 29.* Quot discipuli diligentiâ clari, contemptus alioqui coram mundo, ante reges constitere, Iosephus, Daniel, alii? Et nihil ita exornat discipulum Christi, quâm ut magnam adhibeat diligentiam in addiscendâ & faciendâ Dei voluntate, saluteque suâ promovendâ. Inde est mandatum illud Apostolicum, omnibus Christi discipulis inculcatum: *Estate studio minimè ignoravi: spiritu ferventes. Rom. 12. 11.* Cui & hoc consonat: *Amitte spiritualia. 1. Cor. 14. 1.* A quibus minimè separo istud Petri: *Studete ut incontaminati & inculpati ab eo invenimini cum pace. 2. Epist. 3. 14.* Tales fore Israëlitæ conversos, Dei discipulos, Hosea testatur: *Tunc cum curâ persequerit exortus ejus cap. 6. 3.* Omnes ergo & singuli sibi dicatum existiment ab Apostolo: *Exerce te ipsum ad pietatem. 1. Tim. 4. 7.* Miles in armis se exercet, ut hostem dexterè, feliciterque & fortiter aggredi ac vincere possit. Quidni nos arma spiritualia assidue & sedulo tractaremus, Dei ut militiam militare queamus? Exfuscitanda sunt dona Dei precibus; Scripturæ sacrae lectione, auditu, & meditatione, pietatis

IN MATTH. XVIII.

pietatis, justitiæ, atque temperantiæ exercitiis, ne extinguantur, aut minuantur: sicut ignis sufflatione, lignorumque & cespitum injectione, foveatur. 2. Diligentiæ comes est Patientia. Horatius canit lib. de arte poëtica:

*Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multâ tulit, fecitque puer, sudavit, & alit.*

Multa patienter facere, multa pati discipulum oportet, antequam ad fastigium eruditionis perveniat. Sæpe noctes insomnes ducendæ: multis strenuè, ob defectum opum & mediorum, esuriendum, sitiendum, algendum: sæpe acres reprehensiones & castigationes ob petulantiam vel indiligentiam tolerandæ. Ita discipulum Christi animam suam per tolerantiam suam possidere oportet. Luc. 21. vers. 19. Discipulis Christi dictum: *Siquis vult ponere me venire, attollat crucem suam, ac sequatur me. Matth. 16. vers. 24.* Absque hoc si esset, haud constaret, nos Christi esse discipulos. Rotundè Apostolus: *Oportet per multas afflictiones nos ingredi in regnum Dei. Act. 14. 22.* Item: *Omnis qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. 2. Tim. 3. 12.* Eadem fors discipulorum Dei in Veteri Testamento fuit, Davide teste: *Multæ sunt afflictiones justi. Psal. 34. 20.* Ideo & hos Deus animum munire patientiâ jussit: *In silentio & spe erit potentia vestra. Esai. 30. 15.* Quod ipsum sibi quoque volunt Pauli verba: *Tolerantia vobis est opus, ut voluntati Dei obsecuti reportetis promissionem illam. Hebr. 10. 36.* Isthac virtute cuncti discipuli Christi insignes fuere. Patientiâ armatus, & à vindictâ cohibus Iosephus, fratres sceleris in se recordatione consternatos, erexit: *Nunc ne vos dolore crucietis, neque dispiceat in oculis vestris, quod vendidistis me adducendum huc: nam vix causa misit me Deus ante vos. Gen. 45. 5.* Rursus: *Vos quidem cogitaveratis contra me malum: sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret sicut est die hoc, conservando in vita populum multum. Nunc itaque ne timeatis; ego sustentabo vos.*

bo vos & parvulos vestros: ita consolatus est eos, & loquuntur que erant eis cordi. Ibid. cap. 50. vers. 20. 21. David à Simei convictus in exilio proscissus, patientia clypeo arrepto, & ipse à vindicta abstinuit, & suos impedivit, nequid adversus eum facerent. 2. Sam. 16. 10. & seqq. Idem, quoties gravissimam aliquā calamitate urgeretur, aut atrocissimis injuriis afficeretur, semper in ore habuit, & opposuit suum illud: *Obmutescam, non aperiam os meū: quia tu fecisti, Iehova.* P̄sal. 39. 10. Iobus, bonis omnibus exhaustus, natis natabusq; suis orbus, tetricis ulceribus percussus, mundoq; spectaculū factus, in patientiā quasi obduruit ingeminans illa: *Iehova dedit, & Iehova abstulit: sit nomen Iehova benedictū.* Iob. 1. 2 1. *Scilicet bonum acciperimus à Deo, & malum non acciperemus?* cap. 2. 10. *Etsi occidat me Deus, tamen in eum sperabo.* c. 3. 15. 3. Discipulum frigi rerum suarū fatigere oportet, non aliena curiosè sectari, rimari & tractare. Semper aures animumq; ejus ferire debet vox illa: *Dic cur hic? Qui piscando, venando, auncupando, digladiando, virgines ambiendo, voluptruando, scortando, compotando, otiendo, confabulando, huic illuc discurrendo, & nugando, tempus terunt, nunquam veram solidamque eruditioem consequuntur.* Ni mirum ingenii discipulorum est instar fluvii, qui circumagendae molæ sufficit: is si in plures derivetur rivos, ut plures una circumagat molas, ne unam quidem rotam molarem versare potest: ita ingenium pluribus rebus intentum hebet, & ineptum ad omnia redditur. Sic sibi dictum existiment discipuli Christi: *Vna opus est. Bonam partem, cum Maria, eligere debent, quae non auferetur ab eis.* Luc. 10. v. 42. Hoc unum David unicè cogitavit, petiit, egit, tractavit: *Vnum,* inquit, *petiū à Iehova, id ipsum requiro, ut habitem in domo Iehova, omnibus diebus vite mee; ad videndum amicitatem Iehova, & ad inquirendum in templo ejus.* P̄sal. 27. 4. Nulla ingeniorum pestis præsentior est curiositate & volutpaty poena. Serio Petrus inculcat illud: *Ne quisquam vestrum mala afficiatu*

afficiatur ut alienarum rerum inspectator. 1. Petr. 4. 15. Asseveranter Paulus: *Per gratiam que mihi data est, edico cuivis veri santi inter vos, ne supra modum sapiat ultrà quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus partitus est mensuram fidei.* Rom. 12. 3. Huc etiam illud ejusdem veritatis: *Ambitiosè contendite quieti esse, & res vestras agere.* 1. Thess. 4. 11. His consonat illud Siracidæ: *Difficiliora captiū tuo ne queras temere, & valentiora viribus tuis ne exquiras insipienter; qua mandata sunt tibi haec sancte cogita. Non enim opus est tibi ut occulta intuearis oculis.* cap. 3. 21. 22. Curiosi similes sunt morioni illi Syracusano, qui atrâ bile percitus, se hominum opulentissimum opinabatur, suasque esse naves omnes quæ ad portum appellerentur, & contrarium affirmantibus succensebat. Curiosi, inani persuasione tumidi, putant se omnes intelligentiā anteire, omnes se linguas callere, cœli astrorumque motum accuratè se observasse, terræ abdita scrutatos esse, omnes omnium seculorum historias & eventus in scrinio pectoris circumferre, se ad Ecclesiæ & Reipublicæ gubernacula omnium aptissimos esse: & si quis contrarium statuat, ei irascuntur. Hi stultæ suæ opinionis inductu res magnas & arduas nonnunquam suscipiunt, ad quas gerendas aptiores non sunt, quam asinus ad musicam, aut bos ad choream, ut vulgo dicitur. Longè lecus David, solertissimus Dei discipulus, cujus vestigiis omnes Christi discipulos insistere decet: *O Iehova, inquit, non superbit cor meum, nec efferuntur oculi mei: nec ambulo in rebus magnis, & mirabilioribus quam ut ego eas asequar.* Nisi composui & sedavi animam meam, sicut ablactatus apud matrem suam facit; nisi sicut ablactatus, apud me fuit anima mea: puniat me Deus. P̄sal. 131. vers. 1. 2. 4. A probis discipulis exigitur, ut indies in bonis literis & pietate proficiant: qui in studiis progressum non faciunt discipuli, neque ex bono in bonum traducuntur, male audiunt, & pessimè sibi consulunt. Discipulos Christi cre-

scere oportet in cognitione Filij Dei: quin & Christum ipsum paulatim in illis adolescere decet, donec viri adulti & perfecti evadant, ad mensuram plenae staturae Christi: quod quidem in altero fiet tecno, ubi Deus erit omnia & in omnibus. Eph. 4. 13. De discipulis nequam & pigris Paulus: *Semper discentes, nunquam ad cognitionem veritatis venire possunt.* 2. Tim. 3. 7. Huc pertinet effatum Siracidæ: *Intestina stulti similia sunt contracto vasi: ullam scientiam non tenent in vita sua.* cap. 2 r. vers. 17. Hoc ipsum Paulus Hebræis exprobat: *Vos quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri quæ sunt elementa initij eloquiorum Dei: factique estis ijs quibus lacte sit opus, & non solidio cibo.* Hebr. 5. v. 12. Næ turpe atque absurdum est eos, quos post tam longam institutionem, aliis magistros esse decebat, in primis adhuc pietatis elementis, quasi inter discipulos alphabetarios, hærere, quibus capita, quæ vocamus, catechetica, atque ita prima Christianismi rudimenta instillari oporteat. Quanta vero hodie pigrorum Christi discipulorum seges est, qui etate crescentes, cognitione decrescunt? qui viginti, triginta, quadraginta annos Christianismum professi, Christi cognitione & pietatis studio vix pueris æquari possunt? De primis reformationis Ecclesiæ temporibus verè pronunciare possumus: Majores nostros multum habuisse conscientiæ, & parum scientiæ. Verum de nostro seculo, quo tot veræ cognitionis & pietatis media, quibus destituti majores fuerunt, suppetunt, justius multo dicimus, Scientiam cum conscientia ferè exulare. Torpore isthac excusso, Petrino pareamus monito: *Crescite in gratia & notitia Domini nostri & Servatoris Iesu Christi.* 2. Epist. 3. 18. Verseturque perpetuo in memoria dictum Joannis: *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Apoc. 22. 11. Illi demum ambulant sicut Domino convenit, ac per omnia ei placent, qui crescunt in agnitione Dei. Col. 1. 10. Non standum est in via pietatis,

sed

sed de virtute ad virtutem pergendum, donec apud Deum in Tsiogné compareamus. Psal. 84. 8. Qui stat, retrocedit. Christianus seu Christi discipulus proficit aut deficit: in eodem statu permanere non potest. In primis verò proficiendū in virtutibus cardinalibus; uti sunt fides, spes, charitas. 1. Cor. 13. 13. Fidem augescere oportet, Paulo monitore 2. Cor. 10. 15. Spe exundare decet Dei filios per virtutem Spiritus sancti. Rom. 15. vers. 13. De charitatis incremento idem Paulus: *Veritati studentes in charitate, prorsus adolescamus in eum qui est caput, nempe Christus.* Eph. 4. 15. Gradus istius profectus præclarè describit Petrus, ac sedulum Christi discipulum ex una classe in alteram felici progressu vult ascendere: *Ad hoc ipsum vos, omni præterea collato studio adjicite fidei vestra virtutē, virtuti notitiam, scientiæ verò continentiam, continentia verò tolerantiam, tolerantia pietatem, pietati verò fraternum amorem, fraterno verò amori charitatem.* Hæc enim si vobis adsint, & abundant, non inertes vos nec in fructu vosos efficiant in Domini nostri Iesu Christi agnitione. 2. Petr. 1. 5—8. 5. Quum ingenuis & bonæ frugis discipulis infidias struunt nebulones & seductores, eorumque animos solicitando & pollicitando latet, ac in fraudem pellicere satagunt; consortia prava eos, ceu pestem studiorum atque ingeniorum præsentissimam— diffe & fugere decet. Hinc tanto ardore Salomon filio suo inculcat illud: *Fili mi, si pellicere volent te peccatores, ne acquirescito. Si dixerint, veni nobiscum, infidiemur sanguini, abscondamus nos contra innocentem impunè: absorbemus eos velut sepulcrum vivos, & integros ut descendentes in fossam: omnem substantiam pretiosam consequemur, implebimus domos nostras spolijs: sortem tuam coniicies inter nos: & marcupium idem esto nobis omnibus.* Fili mi, ne ambulato viâ communī cum illis, cobibe pedem tuum à semita illorum: quia pedibus suis ad malum concurrunt, & festinant ad effundendum sanguinem. Prov. 1. vers. 10. &c. seqq. Ut scabie infecta ovis, vicinam inficit: Ita seductor disci-

D 3.

pulum

pulum probum. Verè ut dixerit Siracides: *Qui attendat pī-
cem, inquinabitur eā; & qui communicat cum superbo, similis fiet
ei.* cap. 13. 1. Ita Christi discipuli piis se associare, impiorum
consortia fugere debent. Neque enim fallit Apostolicum
istud enunciatum: *Mores bonos commercia corrumpunt mala.*
1. Cor. 15. 33. Id magno suo damno expertus est regum
sapientissimus, Salomon, qui multarum exterarum foemina-
rum consortio corruptus, in idolatriam lapsus est. 1.
Reg. 1.1. Petrus inter procerum Iudaicorum ministros se-
dens, & ad ignem in medio aulæ Pontificis accensum
cum iis se calefaciens, turpissimè Servatorem suum ab-
negavit. Luc. 22. Optimo jure ut exclamat Paulus: *An
nescitis paululo fermenti totam massam fermentari?* 1. Cor. 5. 6.
Quæ diuictiūs paulò alibi sic exequitur: *Ne participate opera
illa infrugifera tenebrarum, sed potius etiam arguite.* Eph. 5. 11.
Paulo jungo Davidem sic loquentem: *Beatus est vir ille, qui
non ambulat in consilio improborum, & in via peccatorum non stat,
& in sede derisorum non sedet.* Psal. 1. 1. Quemadmodum in
venis silicis quædam ignis scintillæ latent, quæ ubi silex fer-
ro ictus fuerit, protinus emicant, & facile ignem accendunt:
Eodem modo quum tam ex corruptæ naturæ vitio, quam ex
depravata consuetudinis novâ tyrannide, cupiditatum scin-
tillæ & semina in imo pectore, veluti in silice lateant, ubi ex
pravorum sociorum instigatione, peccandi opportunitas
oblata fuerit, & objecta potentiam moverint, protinus scin-
tillæ quæ sopitæ erant excitantur, & quæ intus latebant, fo-
ris erumpunt. Quare qui seduci nolunt, & ad scelerā ab
impiis impelli, Davidem imitantur, qui ita de se: *Socius, ait,
eram omnibus qui reverentur te, & observantibus mandata tua.*
Psal. 119. 63. Evidem nihil utilius, nihil magis necessari-
um. Salomonem audi: *Qui ambulat cum sapientibus, sapien-
tior fiet.* Prov. 13. 20. Qui assiduè ad solem ambulant, ejus-
dem radiis colorantur. Hincde se Sponsa Christi: *Nere-
spiciatis*

31
spiciatis ad me, quod sim subnigra, quod contutus sit me Sol.
Cantic. 1. 6. Er nos assiduā hominum piorum consuetudi-
ne, animo illis & vitæ instituto conformamur. 6. Multum
facilèque in studiis proficiunt discipuli, qui alacres & prom-
pti sunt ad discendum: qui vero non nisi coacti discunt,
exiguum aut nullum progressum faciunt, ac plerumque ad
ingenium relabuntur. Amor industriam exacuit, estque
planè artium omnium & scientiarum magister: homini ala-
cri nihil est difficile. Ita Christi discipuli prompto alacri-
que animo in schola Christi versari, & præcepta ejus celeri-
ter imbibere atque exequi debent: ita nihil difficile ipsis fu-
turum est: *Etenim Paulo teste, si prius ad sit promptus ani-
mus, aliquis acceptus est.* 2. Cor. 8. 12. Inde graviter quo-
vis hortatur: *Quicquid feceritis, ex animo præstare, tanquam
Domino, & non hominibus.* Col. 3. 23. Tales Christi disci-
pulos & subditos fore, jam olim prædictum à Davide: *Popu-
lus tuus erit summè voluntarius die exercitus tui, in ornatibus san-
ctis.* Psal. 110. 3. Et tales revera sunt omnes Christi disci-
puli, in quolibet hominū ordine. David Rex in ordine politi-
co de se pronunciat: *Facere voluntatem tuam, Deus mihi, dele-
stor: & lex tua est in visceribus meis.* Psal. 40. 9. In Ecclesiasti-
co promptum suum ad Deo hominibusque serviendum ani-
mum ostendit Paulus. Ad Romanos scribit: *Quicquid in
me situm est, promptum est ad vobis quoque qui Romæ estis euange-
lizandum.* cap. 1. 15. Idem sonant hæc: *Si euangelizem, non est
quod glorier: necessitas enim mihi incumbit: Vae autem mihi est
nisi euangelizem:* Nam si volens hoc faciam, mercedem habeo: si
invitus, dispensatio credita est mihi. 1. Cor. 9. 16. 17. Esdras
commendans oblationes à populi Dei primoribus ad Tem-
pli instaurationem factas, hoc memoratu dignissimum sub-
jicit: *Ex primoribus paternarum familiarum quum pervenissent
ad dominum Iehovæ qui habitat Ierusalaimis; quidam sponte se
offerentes ad dominum Dei statuendam in sede ipsius: pro facultate*

sua dederunt in thesaurum ipsius operis; auri drachmas semel & sexages mille, & argenti pondo quinques mille, & tunicas sacerdotum centum. Esdr. 2. vers. 68. 69. Ita qui-cunque se ad ædificandam domū Dei & pascendum gregem Christi applicant; muros spiritualis Hierosolymæ exstruent, & gregem Dei, qui penes ipsos est, pascunt, illiusque in specioni vacabunt, non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo. 1. Petr. 5. vers. 2. Idipsum à reliquis etiam Christi discipulis exigitur; in tantum quidem, ut ne ipsæ quidem eleemosynæ Deo gratae sint, nisi animo hilari datae. Perspicue Paulus: *Quisque sicut præoptat corde, h.e.ultrò feligit ac constituit apud te, ita agat: non ex tristitia, aut ex necessitate, nam hilarem datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9. 7. Atque hæc spiritus promptitudo, propria regeneratorum Christi discipulorum nota est. Matth. 26. 41. Inde est illud Pauli discipuli veterani: *Delector Lege Dei quod ad interiorum hominem.* Rom. 7. 22. 7. Discipuli probi & diligentes non subducunt se examini, sed libenter se illi subjiciunt, quippe sui sibi progressus & sedulitatis probè conscij. Et præceptor discipuli profectum explorat, interrogando eum de iis quæ novit: non quòd de ipsius eruditione dubitet, sed ut & reliquis discipulis de progressu ejus in literis constet, exemploque ejus ad diligentiam excitentur. Ita nec discipuli Christi examen, quod per afflictiones & tentationes Præceptor cœlestis instituit, refugient. Exploratè Apostolus Jacobus: *Summo gaudio ducite, fratres mei, quibies in tentationes varias incideritis: illud scientes, explorationem fidei vestrae efficere tolerantiam. Cæterum tolerantia opus integrum habeto, ut sitis integri & toti, in nullo deficientes.* cap. 1. 2. 3. 4. Eodem respiciunt isthæc Petri: *Quā in re exsultatis, ad exiguum tempus nuno (sopportet) in varijs temptationibus tristitia affecti: ut exploratio fidei vestrae multo pretiosior exploratione auri, quod perit, & tam per ignem exploratur, inveniatur vobis esse laudi & honori & gloria*

gloria, quin revelabitur Iesus Christus. 1. Epist. 1. 6. 7. De eo quoque Siracides discipulos Domini præmonuit: *Fili, si ad servendum Domino accederis, compara te ipsum ad temptationem.* cap. 2. 1. Tentat autem coelestis Magister discipulos suos in fide, spe, obedientiâ & dilectione, non quasi ipsorum sinceratatem & constantiam ignoret, sed ut eamdem aliis quoque patet faciat. Ita variis modis discipulum suum veterem Abramum Deus tentavit, ejusque in fide constantiam imitandam nobis proponit. Roma. 4. Iobum quoque discipulum suum fide, pietate, tolerantia & omnigenis virtutibus nulli secundum, gravissimè exercuit. Job. 1. & 2. capp. Finem Iacobus indigitat, dicens: *Ecce, beatos prædicamus eos qui adversa sustinent, tolerantiam Iob auditis, & finem Domini auditis.* cap. 5. 11. 8. Nihil est quod discipulorum in studiis profectum ita juvet & augeat, quam si doctiores æmulentur, & tardiores præcurrant: si habeant quos primùm imitentur, ac mox vincere velint. Aristoteles interrogatus, quo pacto discipuli egregiè proficerent, Diogene Laërtio teste, respondit: *Si excellentiores prosequentes, tardiores non morentur.* Christi discipuli laudem merentur, si condiscipulorum suorum æmulentur cognitionem, fidem, pietatem, eosque æquare studeant. Invidiam haud probamus, quæ dona Dei in aliis obscurare & extinguere fatagit: sed sanctam aliorum imitationem commendamus. Verè & piè Paulus: *Bonum, inquit, est, emulari in re bona semper.* Gal. 4. 18. Rursus: *Affectate charitatem, ambi spirituallæ magis autem ut prophetetis.* 1. Cor. 14. 1. Hoc fine ad sui exempli imitationem idem Apostolus hortatur Corinthios: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 1. Cor. 11. 1. Item Thessalonenses: *Nosmetipos pro exemplari præbemus vobis ad nos imitandos.* 2. Theff. 3. 9. Ac sanè quum videamus discipulos Diaboli, mundi ac hereticorum tanto studio conatuque ad mala ferrari, ac præceptores suos impios sectari: quidni nos Christi discipuli

discipuli, studiosius atque enixius pietatem coleremus, & arctius coelesti ac veraci nostro Praeceptoris adhæreremus? Sin minus; Christus nobis exprobrat illud; *Certe filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis in suo genere.* Luc. 16. 8. Videmus, avarum dies ac noctes divitiis inhiare, & ne festis quidem diebus à corradendis per fas & nefas opibus feriari. Ita enim avaros loquentes introducit Amosus : *Quando transiverit hoc novilunium, ut vendamus commeatum? & sabbatum, ut aperiamus frumenti horrea? minuendo Epham; & majus faciendo pondus, ac pervertendo lancibus dolosis, comparando pecunia tenues, & egentem pari calceorum; ut denique quisquilia frumenti vendamus.* cap. 8. 5. 6. Passim plagas suas tendunt avari, quibus fratres suos venentur: instar venatoris feram per sequentis. Mich. 7. 2. Quanto nos diligentiores & occupatores erimus in colligendis illis thesauris, de quibus Servator: *Recondite vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea neque erosio corruptit, & ubi fures non perfodiunt neque furantur?* Matth. 6. 20. Cernimus, Pontificios Missas quotidie frequentare, & opes suas exstruendis, exornandis, & instaurandis monasteriis impendere. Quidni sollicitius nos cultui divino vacaremus, & liberalius ex facultatibus nostris in opere egenorum subveniremus? Ex monito Christi: *Querite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & ista omnia adjicientur vobis.* Ibid. vers. 33.

II. *Quem interrogârunt discipuli?* Adierunt Iesum. Malum, quod errore gravi imbuti erant animi discipulorum: pejus, quod in illo doctrinæ capite errabant, de quo toties Praeceptor ipsos erudierat. Illud verò bonum ac laude dignum, quod tandem ad Iesum accesserunt, & animi sui morbum ipsi aperuerunt. Verè enim à Petro dictum: *Dominine, ad quem abibimus? verba vita æternæ habes.* Ioan. 6. 68. Iesus est, id est, Salvator. Liberat enim, Angelo interprete, populum suum ex peccatis ipsius. Matth. 1. 21. Inter peccata e-

ta eminent ignorantia & errores, qui mentem excæcant, & luce veræ & salutiferæ cognitionis spoliant. Hos solus Iesus demere potest, oculosque mentis illuminare. Eph. 1. vers. 18.

Uſus ad traſlitar.

Properemus & nos ad Iesum, noſrasque ei ſtultias detegamus, ut corriganter. Humanum eſt, erroribus implicari: Diabolicum, in errore mori malle, quām vel minimam institutionem ferre. Christianum eſt, ab errore liberari cupere ab eo qui ipſa eſt veritas, & in viam reduci ab eo qui ipſa vita eſt. Joan. 14. v. 6. Praeceptorum idoneorum & multiplici eruditione instructorum maxima ſemper fuit dignitas, etiam apud eos qui veræ Christi cognitionis expertes fuere. Difertè Dionyſius Sophista, Epift. 24. Eruditonis ac morum praceptor videtur prestantior eſe patre. Nam ille cum voluptate operam dat progignendis liberis. Hic verè artis confilio bonos efficit. Haud ignarum illud Alexandro Magno, qui Aristotelem, cui puer formandus fuerat traditus, summâ veneratione proſequebatur, dicens: *Se illi non minus quam patri debere, quod à patre vivendi, à praeciptore bene vivendi initium accepisset.* Erasm. libr. 4. Apoph. M. Antoninus Philosophus tantum honoris magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hoſtiis, floribus ſemper honoraret. Jul. Capitolin. in vita ejus capp. 2. & 3. Floride admodum Seneca: *Quædam, inquit, pluris ſunt, quām emuntur. Emis à medico rem inaſtimabilem, vitam ac valetudinem bonam: à bonarum artium praceptorē ſtudia liberalia, & animi cultum.* Itaque his non rei pretium, ſed operæ ſolvitur, quod deserviunt, quod à rebus ſuis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, ſed occupationis ſue ferunt. Libr. 6. de benefic. cap. 15. Quare quemadmo-

admodum ægri, qui vitam & sanitatem amicitia potior rem ducunt, affectam valetudinem non nisi peritissimo medico committere solent: Ita non nisi optimo cuique præceptor erudiendos filios dat prudens pater. Sicuti namque nutricum quanto purius incorruptiusque lac fuerit, tanto infantium qui eo aluntur valetudo magis corroboratur: Ita præceptores quo magis in literaturâ & omnigenâ rerum cognitione excellunt, eo dissentium animis rerum & disciplinarum ideas fortius in primere certum est. Næ magna istiusmodi præceptorum necessitas est atque utilitas. Ut enim eos, licet non scindat, cultros tamen acuit, qui secant: Sic etiamsi præceptores non doceant in Ecclesia, aut regnent in curia; homines tamen præparant, qui id ipsum tandem præstant. Socrates interrogatus, cur ipse non administraret Rempublicam, cum esset sciens? respondit, *Eum utiliorem civitati esse, qui multos idoneos efficeret.* Reipub. moderandæ, quæcum qui ipse rectè gubernaret. Laert. lib. 2. Diogenem Cynicum captum & venum expositum in Creta quum emere vellet Xeniades Corinthius, & quid is artificij novis let percunctatus: *Novi,* inquit Diogenes, *homibus liberis imperare.* Tum Xeniades responsum ejus demissatus emit, & manumisit, filiosque suos ei tradens: *Accipe,* inquit, *liberos meos, quibus imperes.* A. Gell. lib. 2. Noct. Attic. cap. 18. Laert. libr. 6. Discipolorum vero Christi salus in eo sita est, ut Christo Præceptor i cœlesti erudiendos se committant. Quæcunque enim in & à terreno præceptor requiri possunt; ea omnia, & quidem mensurâ plenissimâ & superfluente, in Iesu inveniuntur. Quod si quis veritatis studiosus est, Iesus via est: si quis vitam æternam se statur, Iesus vita est. Ioan. 14. 6. Si nos ipsos probè inspiciamus, & quæcunque in nobis sunt, æquâ lance & judicio certo ponderemus; fatendum cum Davide: *Vtique vanitas sunt filii hominis, mendacium sunt filii viri: lancibus impositi, ascensi.*

ascensi effent ipsi pariter, magis quam vanitas. Psal. 62. vers. 10. Contrà de Christo Paulus pronunciat: *Omnia ipsum esse & in omnibus.* Col. 3. vers. 11. Quicquid scimus, quicquid habemus; ab ipso didicimus atque accepimus. Inde sunt illa Pauli: *Quid habes quod non receperis? quod si etiam acceperisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. 7. Quicquid scitu, creditu, speratu & factu nobis est necessarium; in Iesu reperitur. Paulum testem cito: *In Christo sunt omnes thesauri sapientiae ac notitiae absconditi.* Col. 2. vers. 3. Terreni præceptores sœpe discipulis suis falsa pro veris, dubia pro certis, mala pro bonis, noxia pro utilibus, supervacanea pro necessariis instillant. Cœlesti Præceptor, ipsi Pharisæorū discipuli & Herodiani, qui in exitium ejus & necem conspirârunt, illustre hoc perhibent testimonium: *Præceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere.* Matth. 22. 16. Inde est votum illud Davidicum: *Vias tuas, Iehova, notas fac mihi: semitas tuas doce me. Fac ut incedam in veritate tua, & doce me: nam tu es Deus salutis meæ; te expedito totum diem.* Psal. 25. vers. 4. 5. Illi præcepta tradere & præscribere possunt; sed cor ad illa amplectenda, imbibenda & exequenda flectere non possunt. De nostro Præceptore sacræ paginæ: *Docebat eos ut habens auctoritatem, non autem ut Scribe.* Matth. 7. vers. 29. Docebat cum divina auctoritate, & singulari quædam suavitate, delectatione, dexteritate persuadendi, aumisque hilaritate: non percellebat tantum aures, sed efficaciam prædicationis & Spiritus penetrabat corda auditorum: unde *potens reipsa & verbis* dicitur. Luc. 24. 19. Illi sœpe modum rectè discipulos instituendi ignorant, ac hoc nomine non usque adeò grati sunt suis auditoribus: Christi tanta in docendo est gratia, ut de ingratissimis Nazarenis scriptum extet: *Omnes testimonium ei dabant, ac mirabantur super sermonibus plenis gratia, procedentibus ex ore ipsius.* Luc. 4. vers. 22. E. 3. Nimi.

Nimirum effusa erat gratia labiis ipsius. Psal. 45. 3. Si quis omnis consilij expers, triste illud cum rege Iosaphato canat: *Nos nescimus quid facturi sumus.* 2. Chron. 20. 12. mox secum recogit, Praeceptorem hunc *Consiliarium esse*, Esaï. 9. v. 6. *imò magnum consilio, & amplum actione.* Ierem. 32. v. 19. Si cui cor est durum, indocile, stupidum, Is Praeceptorem coelestem audiat, uberrimo hoc promisso discipulos erigentem: *Dabo vobis cor novum, & Spiritum meum ponam in medio vestri; & amovens cor lapideum è carne vestra, indam vobis cor carnem: & Spiritum meum ponam in medio vestri: quo faciam ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis facientes ea.* Ezech. 36. v. 26. 27. Quid? quod Praeceptor noster discipulos suos, qui natura in lapsibus & peccatis mortui sunt, voce ac Spiritu suo vivificat. Eph. 2. 1. 5. Nec aliud sibi vult amplissima illa promissio ejus: *Amen amen dico vobis, adventat tempus, & nunc est, quem mortui audiunt vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filiō habere vitam in seipso.* Ioan. 5. 25. 26. Si quæras, Ubi Praeceptorem hunc offendere possis, viamque veritatis & salutis ex eo discere? Scito, Apostolos Christum accessisse & interrogasse *in domo*, in quam diverterat Capernaumi. Marc. 9. v. 33. Ita & nos Christum quæramus & consulamus *in domo Ecclesiae*. 1. Tim. 3. 16. Doctores & pastores ab ipso datos adeamus & audiamus; quippe hisce commentariis instructos: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. vers. 16. Et stat promissis suis Praeceptor veracissimus & fidissimus: *Vbi sunt duo vel tres coacti in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Matth. 18. vers. 20. *Quicumque in loco jubebo celebrari memoriam nominis mei, veniens ad te, benedicam tibi.* Exod. 20. vers. 24.

IV. *Quid vero discipuli Jesum rogârunt? Dixerunt, Quis n̄m maximus est in regno cœlorum?* Regnum cœlorum variōs in sacris Literis habet significatus. 1. Notat Ecclesiam

visibilem in hoc mundo, ejusque collectionem & administrationem. Hoc sensu vocem hanc accipit Joannes Baptista, dicens: *Resipiscite. appropinquat enim regnum cœlorum.* h. e. instauratio & propagatio Ecclesiæ Dei, per prædicacionem Euangeli, tempore adventus Messiae. Matth. 3. 2. Sic Iudæis ingratia Christus interminatur: *Tolle tur à vobis regnum Dei.* h. e. non amplius Deus apud & inter vos colligit Ecclesiam per Verbum & Spiritum suum. Ibid. cap. 27. vers. 43. 2. Per regnum cœlorum intelliguntur ipsa spiritualia beneficia, quibus Christus cives suos ornat & cumulat. Discipulis suis dicit Servator: *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum.* h. e. Mysticum sensum parabolæ seminantis, quæ adumbrat conditionem Euangeli prædicati in hoc mundo. Matth. 13. 11. Et Paulus ait: *Regnum Dei non est esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium per Spiritum sanctum,* id est, Ecclesiæ fides & salus non consistit in illis externis rebus: nec per esum aut abstinentiam Deo placemus. Rom. 4. 17. 3. Nonnunquam regnum cœlorum significat ipsum coelum, habitationem Dei sanctorumque supra asperstabilis coelos omnes, in quo veri hujus regni cives æternâ lœtitiâ & gloriâ perfectissimè, quâ animâ quâ corpore, frumentuntur. Hâc significatione capitur Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Verum Apostoli Christi regnum nomine regni cœlorum appellantes, non intelligunt illud quod in celo Christus habet; sed quod cœlitus promissum, instituendum in terra sperabant; ad formam regnum mundi. Ita autem vocant ad imitationem Praeceptoris sui, ex cuius ore appellationem istam jam saepè audiverant. Nam cum prædicare exordiretur, dicebat: *Resipiscite. appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. 4. 17. Et vix aliud quidpiam frequentius Christo appellatione regni cœlorum usurpatum. Sed turpiter errârunt discipuli, & re ipsa & nomine. Re ipsa; quod terrenum Christi regnum somniarent.

C O N C I O P R I M A

Longè aliter Rex gratiæ: *Regnum meum non est ex hoc mundo.* Ioan. 18. 36. *Nomine;* Regnum cœlorum, seu coeleste appellant, cui nihil minus quam cœlestia tribuunt. Terrenum enim regnum intelligunt, quasi spirituale vocarent, carnale autem affectarent & poscerent. In hoc regno existimant aliquem fore μεγαλον, majorem, id est, μεγιστον, maximum, comparativo pro superlativo utentes. Sic Paulus: *Manet fides, spes, charitas, tria haec.* μεγαλον, h. e. maxima autem baruum charitatis. r. Cor. 13. 13. Confer Matth. 23. 11. Occasione huic questioni præbuit perturbatio vehemens & contraria Apostolorum ex prædictione passionis & mortis Christi. Matth. 17. 22. 23. Non enim intelligentes, quid sibi resurrectio Christi vellet, sed in passione duntaxat & morte ejus hærentes, neque de sua interim cruce, quæ prædixerat, recordantes; quis Christo mortuo succederet hæres, ac reliquis Apostolis atque Ecclesiæ cum domino præfesset, anxiæ sciscitantur. Ideoque addunt: τις εστιν, sc: ουδεν; Aliunde enim hunc rectorem & Christi successorem non putant ascendum, sed ex ipsorum numero & collegio. Ac singuli proculdubio suas sibi prærogativas imaginati sunt, cur alius alii præferendus esset. Nam quidam Apostoli erant Christi cognati, ut Judas Thaddæus, & Iacobus parvus. Marc. 6. 3. Hi sanguine aliquid deberi existimarent. Alii ab initio cum Christo fuerant, ut Andreas & Petrus. Matth. 4. v. 18. Nec hoc negligendum videbatur. Alii majoribus ornati erant donis, sicuti Iacobus & Ioannes, qui propterea *Boanerges*, quod est filii tonitru, dicti sunt. Marc. 3. 17. Petrus adhibebatur ad plura: nuper ipsi claves regni cœlorum promissæ erant: Matth. 16. 19. & modò tributum pro ipso solutum est: Matth. 17. 27. unde multum prærogativæ ipsum præ reliquis habere singuli intellexerunt. Quicquid sit, quæstionem hanc non moverunt pietatis, nec æternæ salutis studio. Fuit enim quæstio tūm carna-

I N M A T T H. XVIII.

lis & stulta, tūm curiosa, tūm absurdæ, tūm ambitiosa. *Carnalis & stulta;* Somniant regnum Christi simile futurum terrenis imperiis, in quo ipsi honoribus & dignitatibus eminere debeant. Non vocarunt eos Christus ad regnandum in his terris. Quid Christi verbis clarus? *Reges gentium dominantur eis, & qui autoritatem habent in eas, beneficî vocantur.* *Vos autem non ita esto: sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui ductor est, sicut qui ministrat.* Luc. 22. 25. 26. Ad crucem ferendam vocati erant. Hoc enim primum est alphabetū, quod discipulis Christi imbibendū: *Si quis vult ponere me venire, abdicet semetipsū, & attollat crucem suā,* & sequatur me. Matt. 16. 24. In sacram erant adsciti militiam, non ut externis armis mundo resisterent: sed ut per tolerantiam suam animas suas possiderent. Luc. 21. 19: non ut hostes Evangelij extinguerent & extirparent: sed ut persecutio fortiter sustinerent. Hæc enim fata illis Christus cecinérat: *Ecce, ego mitto vos ut oves in medium luporum. Tradent vos in consébus, & in conventibus suis flagellabunt vos. Sed & ad praesides ac reges ducemini mea causâ.* Matth. 10. vers. 16. 17. 18. *Curiosa;* quærunt enim quæ nec scire ipsos decebat, nec etiam eorum intererat. Nam licet in regno cœlorum gloriæ futuri sint gradus: uti alius est decor Solis, & alius decor Lunæ, & alius decor stellarum. *Stella enim stellæ præstat decore.* r. Cor. 15. 41. tamen ad Apostolos non pertinebat scire, quæ maximus esset futurus. Dei enim solius est, honores illos decernere, & cuique suum reddere. *Maximus sine controversia est Christus, Rex gratiæ & gloriæ, Filius Dei unigenitus, Redemptor atque Servator humani generis.* Dare ergo operam unicè debebant, ut sint de illorum numero, qui ter maximus Christum in vita illâ beatâ celebraturi sunt. Est & hoc manifestum fædæ curiositatis signum, quod Apostoli ignorantes quâ viâ ad regnum cœlorum sit pervenire, intima quæque scrutantur, quis sc. maximus in eo sit

eo sit futurus. Ignorabant initia, & ultima rimantur. Defide, patientia, Dei invocatione, aliisque exercitiis, quibus in regnum Dei pervenitur, nihil cogitantes, quid in cœlo geratur, disputant & querunt. Hoc verò perinde est, ac si quis, iter facturus, de hospitii siti quærens, pedem non promoveat. *Absurda;* Triumphum ante militiam & victoriā agunt, ac præpostere, abjecta militiæ, ad quam vocati erant, curâ, quasi milites emeriti, quietem sibi & stipendia cum honorario ante tempus postulant. Denique *ambitiosa* fuit quæstio; tūm quodd Christo paciente & moriente, ipsi magnificè dominari cupiunt: tūm quodd mutuâ ænulatione stimulati, alij in alios imperium affectant. Debebant *alij a-
lis honore præire*, Rom. 12. 10. & certatim uno sanctoque consensu intenti esse ad se mutud juvandos, nec fratribus minùs quam sibi palmam appetere; sed quisque ex ambitionis oestro sibi honorem præ aliis rapuit. O rem pudendam! Satanam inter Christi discipulos rem ed adduxisse, ut de evanido mundi honore inter se altercarentur. Si Alexandri illius Maghi, Orbis dominatoris, lectatores hoc fecissent, minùs mirum esset.

A P P L I C A T I O.

Ambitionis vitium omnibus hominibus naturâ adhærebit. Hæreditarius hic est animi morbus, quem ex primis contraximus parentibus, qui suâ non contenti sorte, divinos honores affectarunt. Gen. 3. Semen ambitionis in nobis est: sed in corde latet, tanquam sub glebis mortuum & putridum, donec oblatâ occasione vegetetur & succrescat: vel tanquam fur in nobis se abscondit, quoad præsente quâpiam occasione, veluti viatore, ex antro suo se proripit. Ambitio semel accensa & arrepta à Christi discipulis, statim adolevit, & vires accepit, ut jam amplius domi & clam contineret.

tineri nequiverit. Isthanc Camarinam ter moverunt discipuli. Semel post primam passionis Christi prædictionem, hoc loco. Iterum post alteram Christi de perpersionibus & morte sua concionem, prope Jerichuntem. Matth. 20. vers. 17. & seqq. Tertiò post cænam Eucharisticam, imminentे jam passione in horto. Luc. 22. 24. Hæc autem illorum ambitio tanto minus ferenda est, quod humillimo loco nati essent, ut mirum videri potuerit, quomodo illos subeat: *tanquam si spina quædam quæ in Libano est, mittat ad cedarum quæ est in Libano ad dicendum, da filiam tuam filio meo in uxore.* 2. Chr. 25. 18. Quod si tempus notemus, mota est ab illis hæc controversia, quum Christus apud eos de cruce ferenda differisset & mandata dedisset, deq; sua passione & morte vaticinatus fuisset. In quo vitiæ nostræ naturæ pervicaciam cernimus, quæ eo magis fæditatem suam despumat, quo salutaribus doctrinæ, admonitionis & correptionis repagulis fortius cohibetur. Verè ut pronunciârit Paulus: *Peccatum occasione per præceptum de non concupiscendo sumptu, effecit in me totam cupiditatem.* Rom. 7. 8. Tām enim deploratus est hic morbus, ut sicut mulieris sanguinis profluvio laborantis morbus medicinis deterior & exulceratior factus est: Marc. 5. 25. 26. Ita hoc peccatum prohibendo irritetur, & comminando augeatur. Prorsus ut calx eo magis acceditur, quo magis aqua affunditur: tanquam torrens rapidus tanto impetuosior est, quo plura obstacula, quæ fluxum & cursum ejus retardent & sistant, illi objecta & opposita sunt: Utī ægrotus impotentiùs appetit ea quibus interdixit medicus: Utī furiosi magis repugnat, cū ligari se sentiunt: & ut equus ferociens, domitorem sentiens, acriùs recalcitrat. Cum hac pervicacia & obstinatione conjuncta est insania. Nam honores illi, quos sibi & animis confinxerant discipuli, nulli omnino futuri erant. Nimirum sic saepe fit, ut umbram sestantes felicitatis quæ comprehendi nequit, rem ipsam no-

bis in os oblatam amittamus. Nec potest hic ullus esse fecundus: quia Diabolus omnibus statibus inferioribus æquè ac superioribus, quoad ambitionis vitium, insidiatur. Occupavit hoc peccatum in primis regum, principum & magistratum aulas. Uti enim in pinguioribus caseis facilimè subnascuntur vermes: & teredines in ligno tenui & delicato facilius gignuntur, quam in duriori atque nodofo: & blattas citius concipit exquisita lana, quam tomentum: Sic etiam ambitio citius tentat virum potentem & autoritate insignem, quam plebejum aliquem. Exempla loquuntur tam piorum quam impiorum. Inter reges prios se primo loco oggerit Rex David, qui quum apud se esset, & Dei metu in officio contineretur, canebat, idque animo haud duplicitate. *O Iehova, non superbit cor meum, nec efferuntur oculi mei: nec ambulo in rebus magnis, & mirabilioribus quam ut ego eas asseguar.* Nisi composui & sedavi animam meam, sicut ablatatus apud matrem suam facit; nisi sicut ablatatus apud me fuit anima mea; puniat me Deus. Psal. 131. vers. 1. 2. Verum in cribro Satanæ huc illuc agitatus, carnique corruptæ fræna laxans, ambitionis œstro percitus, populum numerari jussit: quo facto iram Dei in se & populum concitavit. 2. Sam. 24. vers. 1. Ad eumdem lapidem impegit Rex Hiskias. Merodac Baladan Babyloniarum rex eum visitaturos legatos mittebat. Hiskias licet tot commonefactionibus eruditus, tamen vanagloriola tumens thesauros, arcem, & siquid admiratione dignum videbatur, tanquam suas opes ostentabat. Id improbans Deus, denunciavit futurum, ut hæc omnia Babylonem transportentur. Esaï. 39. Non reticuit nec dissimulavit Spiritus sanctus gravem hunc ejus lapsum: *Non pro beneficio erga se rependit Hiskias: nam extulit se animus ejus: quapropter fuit contra eum fervens ira, & contra Iebudam ac Ierusalaimam.* 2. Chron. 32. vers. 25. Quod ad reges & magnates impios, illi plerumque vilia inanis ambitionis maniplia sunt.

Pharao Rex Egypti, iussus Israelem dimittere, in Excelsum arrogantissime insurrexit, dicens: *Quis est Iehova, cujus voci auscultem dimitendo Israelem? non novi Iehovam, ideo etiam Israelem non dimittam.* Exod. 5. 2. O ferreum & blasphemum os, dignum quod marinis fluctibus compescatur atque obstruatur! Audite etiam ambitiosissimum Regem Babyloniarum immaniter se efferentem, cum ipso Deo de possessione & sede certantem, ac eidem Altissimo, manifesta blasphemiam, le æquantem, cumque animo suo dicentem: *In caelos ascendam, supra stellas Dei fortis exaltabo solium meum; & sedebo in monte conventus, in lateribus Aquilonis: ascendam supra excelsa nubis densæ, me æquabo Excelso.* Esaï. 14. 13. 14. Sic Sennacheribus tyrannus Assyrius, supra verū illum unicumq; Deum se extulit, omnem ejus potentiam impugnavit, eū cū idolis, que nihil sunt, contulit, imd Numen omne sustulit, dicens populo Dei: *Videte ne seducat vos Hiskias, dicendo, Iehova eripiet nos: an eripuerunt dij gentium quisque terram suam è manu Regis Assyriæ? Vbi sunt dij Chamathæ, & Arpadí? ubi dij Tzepharvajmorum? quin etiam eripueruntne Schomronem è manu mea? Qui sunt inter omnes deos regionum istarum, qui eripuerint regionem suam è manu mea: ut eripiat Iehova Ierusalaima è manu mea?* Ibid. cap. 36. 18. 19. 20. De Herode Agrippa, divinos sibi honores arrogante, scriptum reliquit Lucas Euangelista: *Statuto die, Herodes induitus ueste regia, & confidens pro tribunali, concionabatur ad eos. Populus vero acclamabat, Vox Dei, & non hominis. Illico vero percussit eum Angelus Domini, eo quod non tribuisset gloriam Deo, & erosus à vermis, examinatus est.* Act. 12. vers. 21. 22. 23. De M. Crasso sic scribit Plutarchus in vita ejus: *Non satis esse putabat, si inter tot hominum millia præ ceteris excellentissimus haberetur: Sed quia duobus tantum (videlicet Pompejo & Cælare) aliquanto videbatur inferior, omnia sibi deesse arbitratus; tantas res aggredi non dubitavit, id est, bellum Parthum,* cum,

cum, in quo vixtus & interfctus est. De Cæsare idem author in vita ejus : *Fama est, inquit, in transgressu Alpium pretereuntes amicos ejus oppidum barbarorum, quod homines admodum pauci tenuesque colebant, per risum & jocum dississe: Num quæ hic quoque de honoribus ambitiones, & de primatu certamina mutuæque factiosorum invidiae forent. Ibi serio Cæsarem ad eos dixisse, Mallem equidem apud hos primus esse, quam Romæ secundus. Videsne quanta primatus cupiditate Cæsar teneretur? Malebat in vili pago, inter ignobiles nulliusque pretii homines, esse primus, quam Romæ, inter viros nobilissimos, esse secundus.* De Alexandro Magno Valerius Maximus libr. 9. cap. 5. *Alexandri regis virtus & felicitas tribus insolentia gradibus exultavit evidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iovem Hammonem patrem ascivit: tædio morum, & cultus Macedoni, vestem & instituta Persica aßumfit: p̄reto mortali habitu, divinum æmulatus est. Nec fuit ei pudori, filium, civem, hominem dissimulare.* Eidem Alexandro Magno non suffecerunt paterna regna; sed universum Orbem conquerire studuit. Quamobrem reportatâ de Dario Periarum rege victoriâ, & pacis conditiones, filiæ Darii nuptias, atq; regnorum medianam partem, respuens, respondit: *Mundum uno Sole recreari: & duos Soles Asiam ferre non posse.* Quām multi verò postremis his seculis apparuerunt Alexandro similes? Quid sibi voluit illud regium symbolum Lunæ falcatæ, cum inscriptione, *Donec totum impleat orbem: & illud Cæsar is;* Plus ultra? Manifestè ista arguunt inexplebilem hominis ambitioni animū. Verū enim verò in Regum duntaxat & principum aulis hoc vitium non nutritur; sed etiam locum in Ecclesiis & scholis invenit.. Apostoli futuri erant Ecclesiæ pastores, plerique obscurò erant loco nati, & simplici tunicâ amiciebantur: ter tamen Satanæ eos hoc peccato tentavit. De Diotrephe Joannes: *Scripsi Ecclesiæ: sed qui primatum inter eos ambit Diotrephe, non recipit nos.* 3. Epist. vers.

verl. 9. Diotrephe iste ex ambitione supra fratres suos sese extollebat, ac dominatum in eos exercere, omniaque ex arbitrio suo instituere & disponere fatagebat. Cyprianus queritur: *Etiam in sinu sacerdotum ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat.* De jejun. & temptationib. Christi, §. 18. Ambitio etiam in ædibus privatis cubat: invidet alter alteri honorē, & aptiorem se ad officium æstimat altero. Nemo ferè forte suā est contentus. Hoc ergo vitium angue & carne pejus fugiamus. Odisse in primis & detestari ambitionem debent Theologi & Ecclesiæ pastores atque antistites. Nam per illam multæ hæreses & contentiones in Ecclesiæ Dei sunt inventæ. Ambitio ubi Romanum Episcopum tota occupavit, in Antichristum eum convertit: qui non, quod Apostoli hic fecerunt, de primatu, cui competeteret, quæsivit, sed cum omni fraude injustitiae primatum, immo monarchatum Ecclesiasticum & secularem sibi rapuit. Nam non satis fuit Romanis Episcopis, primariæ sedis Episcopos appellari, Oecumenici Episcopi, atque Ecclesiæ capita in terris dici voluerunt. Regibus atque Cæsaribus illudentes, se Soli, Reges verò ac Imperatores Lunæ assimilârunt: quatenus ut Luna nullum habet, nisi à Sole, lumen, ita Regum & Imperatorum dignitas & potestas ab ipsis sit. Neque hic dum acquiescunt, sed cum Deo ipso litigant, & à suis assentatoribus Deos in terris se vocari patiuntur. Quod quidem exoticis testimoniis confirmare non est opus: quin ipse Papa prodeat, testimoniumque dicat. *Contra se enim unusquisque est testis in primis idoneus.* Cauf. 14. q. 2. p. 1. De eo autem. Sic igitur Nicolaus Papa, ut à Gratiano, Distinct. 96. c. 7. citatur: *Satis evidenter ostenditur, à seculari potestate nec ligari profus, nec solvi posse Pontificem, quem constat à pio principe Constantino D E V M appellatum, cum nec Deum posse ab omnibus judicari manifestum sit.* Ecce, Nicolaus Papa Deum. fe. ax

se à Constantino Imperatore appellatum gloriatur; atque hinc colligit, neque ab hominibus Papas judicari posse aut debere. Augustinus Steuchus Papæ Bibliothecarius, hunc locum laudans, ita subjungit: *Audis summum Pontificem à Constantino D E V M appellatum, & habitum pro Deo? Hoc videlicet factum est, cum eum præclaro illo editio decoravit, adoravi uti Deum, uti Christi & Petri successorem, DIVINOS EI HONORES, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est.* Libr. de Donat. Constantini. Glossator etiam Iuris Canonici dilertè nominat Papam, *Dominum Deum nostrum.* Gloss. sub finem Extravag. Joan. XXII. Tit. 14. de verbor. signific. c. *Cum inter nonnullos, in verb. Declaramus. Nimirum ita jam olin à Paulo prædictum; Non adveniet dies Christi, quin venerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille peccati, filius, inquam, ille perditionis, sese opponens ille & efferens supra quicquid dicitur Deus, aut Numen; adeò ut in templo Dei tanquam Deus sedeat, præferens se esse Deum.* 2. Theff. 2. 3. 4. Vides quomodo inexplebilis sit ambitiosus, cui ne totius quidem mundi gloria (nisi coelos concendat, ut se somniet Deum) sufficit. Ambitio quoque mater fuit hæreticorum. Quando enim ex fastu & supercilie sibi quidvis in doctrina singendi licentiam, vel errandi immunitatem tribuunt, ac φιλαυτία excæcati, plus rationi suæ fidunt, quam expresso Dei verbo, ad rationis decempedam minus quadranti, tacito & veloci pede in hæresem barathrum ruunt. Valentinum hæreticum speravisse Episcopatum, sed alium sibi prælatum indignè tulisse, & ideo in hæresin prolapsum, quia & *ingenio potuerit & eloquio;* scribit Tertullianus libr. adversus Valentinianos, cap. 4. Nisi per ambitionem Episcopum suum Alexandrum contempsisset Arius, illoque doctior videri voluisset; tam graves hæreses nequaquam in Ecclesiam invexisset. Hanc pestem ut vitare queamus; consideremus iræ Dei adversus ambitiosos & su-

& superbos atrocitatem & gravitatem. Stat enim illud Petri: *Deus superbis obfissit, submissis autem dat gratiam.* 1. Epist. 5. vers. 5. Ambitio igni similis est. Ignis suâpte naturâ semper sursum ascendit, deorsum nunquam descendit, nisi invitus. Ambitio etiam ascendere semper cupit, sed descendere cogitur. Chilo Lacedæmonius interrogatus, quid in coelo ageret Deus: *Alta, inquit, deprimit, & humilia extollit.* Maria Virgo illud in cantico suo ad homines applicans: *Deus, inquit, forte facinus fecit brachio suo: dissipavit superbos cogitatione cordis ipsorum.* Detraxit potentes è thronis, & extulit humiles. Luc. 1. 51. 52. Exempla omnium seculorum testantur, nunquam impunitatem à Deo ambitioni concessam esse, sed semper eam dejectam fuisse & depressam. Ipse Diabolus, simul atque altius ascendere, & se Deo æquare conatus est, præceps ruit cum horrendo fragore instar fulguris aut tonitrus. Quas in calamitates & ærumnas sese Adamus cum posteris præcipitem egit, quod Deo æqualis esse, altiusque attollere se voluisset? Gen. 3. 17. Nónne de Miriamo Mosis sorore, septiduanæ lepræ poena sumpta fuit, propterea quod ambitiosè in fratrem insurrexisset? Numer. 12. 10. Core verd, Datan & Abiron, cum suâ cohorte, postquam stultâ arrogantiâ sese cum Moïse comparassent, nónne terræ hiatu vivi absorpti sunt in oculis universi populi? Num. 16. 33. Huzzija rex Iehudæ, non contentus suâ dignitate, sacerdotis etiam munere ambitiosè fungi voluit: sed cum suffimentum teneret ad adoleendum, statim exorta est in fronte ejus lepra, quæ ad mortem usque illum comitata est. 2. Chron. 26. 19. Sennacheribus ab Angelo Domini profligatus fuit, cæsis Assyriorum centum octoginta quinque millibus, proximâ nocte eum diem sequente, quo per os Rabsaces legati sui blasphemias voces in Deū evomuerat, & superbâ excæcatus in Q-mnipotentē invehi, ac eū quasi provocare ausus fuerat. Esai.

C O N C I O P R I M A

36. 37. Haman ille superbus ex eodē patibulo suspensus fuit, quod ipse Mardochæo paraverat, ob non exhibitam sibi ab eo, quemadmodum ab aliis, adorationem... Esth. 7. v. 10. Nebucad-netzär, post non paucas nec mediocres victorias de hostibus reportatas, quum pace frueretur, ab omnibus vicinis formidatus, quumque urbs ac regia ipsius sumptuissimis ædificiis, & opulentissimis populorum debellatorum exuviis ac spoliis exornata & instructa esset, tanta felicitate ebrius, se hominem esse non amplius meminit. Quæ causa fuit cur Deus, ut hanc superbiam retunderet, ratione & autoritate ad tempus eum privârit, similemque brutis animantibus esse voluerit, quoad animi ac spiritus demissione, ac peccati sui agnitione, pristinam illam superbiam expiaret. Dan. 4. v. 31. & seqq. Quid? quod Petrus Apostolus, suis viribus confidens, & sese socijs præferens, falsa constantię opinione concepta, in vitæ & gratiæ divinæ perdendæ, ac proinde veræ beatitudinis desperandæ discrimen venit. Matth. 26. Æsopus hoc etiam innuit in suo de testudine apolo: hæc dolens & impatienter ferens quod semper humi reperet, & cupiens in aëre volare, ut aves, rogavit aquilam ut se éveheret: quæ primùm id recusavit, de periculo admonens, quod sine alis volare cuperet: verum illius importunā petitione victa, pedibus eam attollit, ac tandem, sive testudo per se volare expeteret, sive lassa esset aquila, nec amplius sustinere illam posset, demittit: quæ delapsa in terram, fracta est: ut doceantur homines, intra suæ vocationis terminos potius sese continere, mediocri sorte, cum benevolentia Dei conjuncta, contentos, quācum cūm Dei offensione, ampliorē appetere, & in cœlum cōnniti, ut Babylonicae turris ædificatores. Poëtæ, qui fictionum involucris veritatem saepe complexi sunt, fabulis, tum de Icaro, qui cereis pennis altius volans in mare decidit, tum de Phæthonete, qui quū Solis currum & equos regendos suscepisset,

I N M A T T H. X V I I I

pisset, fulmine dejectus est, nihil aliud docere voluerūt, quā omnis temeritatis & ambitionis exitum esse infelicem. Sed missis Ethnicorum fabulis, ipsius Dei ad versūs ambitiosos & superbos minas, quibus refertæ sunt Paginæ sacrae, expendamus. Graviter & efficaciter Esaias: *Oculis altis homo demittetur, & deprimetur altitudo hominum: editusque erit Iehova solus die illa.* Quum dies erit Iehovæ exercituum contra omnem superbum & excelsum, & contra omnem elatum, ut demittatur, & contra omnes cedros Libani celsissimos, & elatissimas, & contra omnia robora Baschanis, & contra omnes montes colossimos, & contra omnes colles elatissimos, & contra turrim altam, & contra omnem murum munitum, tunc deprimetur altus homo, & demittetur celitudo hominum; editusque erit Iehova solus die illa. cap. 2. vers. 11. & seqq. His verbis Propheta significat, eos qui ambitiosè suam magnitudinem, nobilitatem, vires & opulentiam jaçtant, brevi ab ira divina, tanquam fulgere, dejectum iri. Et Deus Edomæis, ob fastum eorum, per Obadiam Prophetam, calamitatem & ruinam denuncians: *Ecce, inquit, patrum dispositurus sum te inter gentes; contemtus eris valde. Superbia animi decipit te, & qui habitas in fissuris petræ, in altissima habitatione suâ; dicens cum animo suo, quis dejiceret me in terram? Si exaltares velut aquila, & si inter stellas poneres nidum tuum, inde dejicerem te, dicidum Iehovæ.* vers. 2. 3. 4. David his consolata talia profert: *Vidi improbum qui magnâ vi erumpet, & sese explicabat tanquam arbor indigena virens.* Deinde præteriit aliquis, & ecce non erat amplius: *quæsivi eum, sed non inventus est.* Psal. 37. 35. 36. Nec est quod quis miretur, ambitiosos Deo exofos esse. Cinis & pulvis sunt, nihil suunt: quicquid boni habent, Deo soli debent. Deus verò nihil antiquius chariusque habet gloriâ suâ. *Gloriam, inquit, meam alteri non dabo.* Esai. 42. 8. Hanc ambitiosi nefando quodam sacrilegio, Deo suffurantur. *Quanto enim altius le effreni & eve-*

evehunt, tanto magis Dei gloriam dejiciunt & depriment. Siquis Princeps egenum aliquem domo sua exceptum, & intra mediocritatem ab se opibus auctum atque ornatum, biennio vel triennio post opulentissimum videret, maximam pecuniae vim fœnori colloquenter, numero satellitio stipatum, ac ingentes sumptus facientem, nonne justa de causa furti suspectum haberet? Ita nos, quum indigimus & nudi domum Dei ingrediamur, squalore, vermis & ignominia cooperiti, si postea superbè nos geramus, nonne tantum de gloria Dei detrahimus ac suffuramur? Quod nobis est, Deus bone patrimonium, quæ bona parta, ob quæ gloriemur? *Annon pater noster* (ut ait Prophetæ) *erat Amarrheus, & mater nostra Chittreas?* Ezech. 16: 3. Hæreditas ab illis relicta, annon est peccatum, miseria, mors & maledictio? Quos vero nobis amicos acquisiverunt præter carnem cum ejus concupiscentiis, mundumq; cum ipsius voluptibus & deliciis? Quod si igitur Deus cū ambitioso contendere velit, & ratione exigere quamobrem sibi gloriam assumat; quid ille respondere possit, quo id excusat, ac prober eam se non suffurari? Si omnis honor & gloria Dei soli tribuenda; 1. Tim. 1. 17. efficitur, quum de nobis ipsi gloriamur, alterutrum, ut aut ipsi nos illi adæquemus, aut abripiamus id quod nunquam ab ejus Imperio & Majeestate separari potest. Nam quod virtutes ipsius attinet, eas communicare potest. Sapientiae suæ participes facit Prophetas ac ministros Ecclesiæ, potentiae atque authoritatis, principes & judices, misericordiæ ac bonitatis, eos omnes qui mansueti sunt & charitate præditi. Sed gloriam & honorem istis virtutibus debitum, sibi uni excipit ac servat, cuius nulli, qualescumq; sicut, confortes fieri possunt. Ideoq; per Ieremiā nos sic alloquitur: *Ne gloriator sapiens in sapientia sua, neque gloriator potens in potentia sua, neque gloriator dives in divitius suis.* Sed in hoc gloriatur qui gloriatur, scilicet
gere

gere & cognoscere me, me esse Iehovam. cap. 9. 23. 24. Porro ambitionem valde retundit, si virtutis alieius nobis conscienti, in comparatione tamen ad alios homines, ac præfertim piros, nos ipsos præ illis non justificemus, melioresque ac sanctiores eis statuamus. Huc pertinent monita illa Apostolica: *Ne elatè de vobis ipsis sentite, sed humilibus obsecundate.* *Ne essetis prudentes apud vosmetipsos.* Rom. 12. 16. *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex animi submissione alii alios existiment sibi præcellere.* Philip. 2. 3. Hoc unum omnibus nobis incumbere agnoscamus, ut, cum eodem Apostolo, nos ipsos longè minimos omnium sanctorum agnoscamus. Eph. 3: 8. Illud autem quum suæ sibi virtutis conscientiis difficile sit, tribus hinc modis obtineri potest. 1. Primo hoc agendum est, ut averso quodammodo vultu à virtutibus nostris & bonis operibus, quæ nec advertentes sequuntur; Apoc. 14. v. 13. in vitiis & defectibus, à quibus periculum est, scrutandis & opponendis contrà, vigilantes potius ac severi simus. Sicut enim castis, à formis mulierum; Sirac. 9. 8. 9. ita verè fidelibus à pulchritudine virtutum suarum avertendi sunt oculi; si quam in seipso animus fornicationem exercere solet, evitare velint. Num. 15. v. 39. Testimonia quoque & judicia aliorum hominum, quæ veluti specula quædam foris sunt, ut in maculis nostris prodendis tutius inveniunt fidem; ita in virtutibus, vel fugienda quodammodo, vel ut externam operis speciem, solumque loquentis animum indicantia, contemplanda sunt. Magis enim amat, qui de aliena virtute prolixius sperat, & benignius judicat. Estque speciosius, quod vel à pluribus laudatur, vel à melioribus. Ipsum interim hominis animive faciem nemo hominum æquè novit ac spiritus hominis qui in eo est. 1. Cor. 2. 11. Qui tamen quum seipsum saepe fallat, solum Deum nunquam fallit. Ita enim Deus: *Fraudulentum cor ipsum supra omnia, & mortiferum est, quis cognoscet ipsum?*

Ego Iehova scrutator cordis, probator rerum: idque ut dem cuique secundum vias suas, secundum fructum actionum suarum. Ierem. 17. 9. 10. Interim animus pius satis habet, si se piūm esse noverit: in cæteris nusquam errat utilius, quām ubi se minūs, quām sit, innocentem ac bonum judicat. Quod tamen nunquam, opinor, accidit, aut constanter saltem nunquam accidit: sed potiūs ut de virtutibus & facultatibus suis longè amplius sperent homines, quām in iis revera est.

2. Deinde etsi aliquæ sint in nobis virtutes ac bona opera, cogitandum etiam, quamvis numero plura agamus; tamen proportione fortè aliis minus agere. Eo quod ex majoribus donis ac virtutibus à Deo collatis, minus fortè reddamus Deo: & quasi ex magnis opibus, exiguum largiamur eleēmosynam. Non quantitate, sed animi affectu Deus bonum opus aestimat. De eleēmosyna Paulus: *Si prius adgit promptus animus, aliquis acceptus est pro eo quod habet, non pro eo quod non habet.* 2. Corint. 8. 12. Exemplum viduæ pauperculæ loquitur, cuius supra opes liberalitatem Servator prædicat. Historia sic habet: *Respiciens Christus vidit divites immittentes dona sua in gazophylacium. Vedit autem etiam quandam viduam pauperculam immittentem illuc minutæ æreola duo. Et dixit, Verè dico vobis, vidua hæc pauper immisit amplius quām omnes. Nam omnes hi ex eo quod sibi redundat, immiserunt quæ do parent Deo: hæc autem immisit ex penuria sua totum victum quem habebat.* Luc. 21. 1—4. Quod & illud Christi referri potest: *Cuicunque multum datum fuerit, multum repetetur ab eo: & apud quem depositum fuerit multum, amplius reposetur ab eo.* Ibid. cap. 12. vers. 48.

3. Denique si & virtutes aliquæ satis perfectæ, vel perfectiores fortè in nobis quām in aliis evidenter sint, humilitatis tamen perfectionem nunquam nobis arrogabitus, cuius utique in summo gradu perfectionem, nemo nisi in summo gradu superbus, sibi arrogare potest. Quantum autem deest humilitatis; tantum utique supereft-

ambitionis & superbiae: quæ, miro animi in seipsum redeundi & vitiandi modo, etiam in ipsa humilitate metuenda est. Unde verissimè Chrysostomus: *Nihil perinde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus.* Homil. 3. in illud: *Elatum est cor Ozie.* Ecquis de virtutis suæ conscientiâ non quantumcunque superbiat? Quantumvis igitur aliis plus boni egerimus; incerti tamen sumus, annon plus aliis vicissim prælatione & ambitione, & persuasione sanctitatis, opera bona contaminaverimus, quasi vestes albas, in quibus maculæ turpiores, quām in nigris esse solent. Nam qui non fit peccator, quod impossibile est; fit peccator dum superbis; ut eleganter & verè Ambrosius ait in Rom. 12. His probè expensis exclamemus cum Constantino, apud Eusebium in vitâ ejus libr. 3. cap. 20. *Qui revertit sine bonitate superiores, divini Numinis est decernere.* Verùm enim verò quum corda nostra, propter nativam pravitatem, facile in momento in vitium ambitionis præcipitentur, nisi per Spiritus sancti gratiam à carnalibus defectibus probè defæcentur; Deum Trin - unum humiliter atque ardenter oramus, ut nos per Spiritum suum sanctum ad veram animi demissiōnem efficaciter exciret, flectat, & impellat. **A M E N.**

CONCIO SECUNDA

I N

M A T T H . X V I I I . vers. 2. 3.

Et quem ad vocasset puerulum Iesus, statuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico vobis, nisi converteritis vos, & fiat ut pueruli; nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.



Christus, Praeceptor ille bonus & fallere nescius, discipulis suis prima professionis & conversationis eorum rudimenta proponens & expōnens, ab abnegatione seu abdicatione sui ipsorum exorditur: *Si quis, inquit, vult ponē me venire, abdicet se metipsum.* Matth. 16. vers. 24. Abnegatio ista sui ipsius varijs fit modis. 1. Discipulum Christi propriā se abdicare oportet sapientiā, ut sapiens in Deo, ex verbi ejus præscripto, fiat. Disertè Paulus, veteranus & exercitatissimus Christi discipulus: *Nullus seipsum seducat: si quis sibi videtur esse sapiens inter vos in hoc cœculo, stultus fiat, ut fiat sapiens.* Sapientia enim mundi hujus, stultitia est apud Deum. 1. Cor. 3. 18. 19. Ipse Paulus, quum Legis & multarum aliarum rerum cognitione æquales suos omnes longè post se reliquisset, omnia tamen ista pro stercoribus, imo pro rebus nocentissimis duxit, ut Christum lucrifaceret & cognosceret. Philip. 3. 8. 10. In Romana historia Junius Brutus describitur, qui prudenti stultitiae simulatione Tarquinii superbi

IN M A T T H . X V I I I .

39
bi infidias effugit, cùm is omnibus necem strueret, quos ty- rannidi lusæ obstat posse suspicabatur. Et in Scholis versicu- lis ille jactatur:

Stultitiam simulare loco, sapientia summa est.

At nullâ hīc simulatione opus est. Verè & ex animo mundi sapientia excludenda est, ubi de æternâ salute agitur, & quasi clausis oculis Deus sequendus, quâ ille nos ducit per verbum suum: ita verè servabimur. Hoc demum est in captivitatem redigere omnem cogitationem ad obediendum Christo. 2. Cor. 10. 5. 2. Seipsum abdicat, qui voluntatem propriam abnegat. Dei enim voluntas sola bona est; Rom. 12.2. nostra mala. Dei voluntati parendum est, quæ sicut optima est, ita ad vitam & bonum semper nos dedit. Propria vero voluntas ad mortem nos & damnationem dedit. Per quid primus generis nostri parens ex Dei gratia salutisque statu in æternam damnationem prolapsus est? Verbo dicam: Dei voluntate sepositâ & contemtâ, propriam voluntatem sequebatur, & Domini præcepto neglecto, Diaboli suasioni aures patulas præbebat. Ipse Servator noster, in agone constitutus, propriam voluntatem Patri suo coelesti in odorem bonæ fragrantie obtulit: *Pater mihi, ait, si possibile est, abeat à me poculum istud: verum tamen non ut ego volo, sed ut tu.* Matth. 26. 39. David, à filio Abrahomo regno pulsus, totum se Dei voluntati, suâ abnegatâ, commisit & submisit, ac Tzadoco Sacerdoti dixit: *Reduc arcam Dei in civitatem: si invenero gratiam in oculis Iehovæ, utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum suum.* Quid si ita dixerit, non delector te, faciat mihi prout bonum videtur in oculis suis. 2. Sam. 15. vers. 25. 26. 3. Seipsum abnegat, qui proprio amori renunciat. Seipsum qui odit, Christum verè diligit. Amorest summum animæ bonum; tribuendum ego summo Bono, nempe Deo. Quod summè amamus, hoc rerum omnium finem æstimamus, ultimumque desideriorum nostrorum

H

com-

complementum. Atqui solus Deus est principium & finis creaturarum, primus est & novissimus, solus cordis nostri desideria implet. Dei ergo amor proprio præferendus est amori: in solo Deo amor noster incipere & desinere debet. Graviter Servator: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres & sorores, atq; adeo etiam animam suam; non potest meus esse discipulus;* Luc. 14. 26. Cave putes odium parentum, consanguineorum & charissimorum amicorum, à Christo nobis instillari. Alibi mentem suam apertissimè Dominus sic explicat: *Qui amat patrem aut matrem suam supra me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam supra me, non est me dignus.* Matt. 10. 37. 4. Denique seipsum abdicat, qui proprio honori renunciat. Qui suam venantur gloriam, Dei gloriam quærere nequeunt. Hoc ipsum Christus Pharisæis eorumque affectis exprobrat: *Quomodo vos potestis credere, quum gloriam alij ab alijs capretis, & gloriam illam, quæ à solo Deo proficiuntur, non quaratis?* Joan. 5. vers. 44. Ita seipsum abnegavit Christus ipse: *Discite à me, inquit, quod mitis sim & humilis corde.* Matt. 11. v. 29. Rursus: *Gloriam ab hominibus non capto.* Joan. 5. 41. Überius adhuc: *Ego non quero gloriam meam.* Ibid. cap. 8. 50. Evidem quum omnes bonorum rivuli è divinæ bonitatis fonte emanent, omnia vicissim in hoc mare transferenda sunt. Herba, qua heliotropium dicitur, semper ad Solem se convertit, à quo vitam & succum haurit: Quidni Dei filij cum omnibus suis donis, omnique suo honore, ad Deum, munificentissimum Largitorem, se convertant, sibi verò nil quicquam tribuant? Ab isthac sui ipsorum abnegatione longè aberant discipuli Christi, cum de primatu altercarentur, summosque in regno Christi honores temerè ambirent. Quare Christus, cui ipsorum salus unicè cordi curæque erat, graviter & tempestivè eos ad sui ipsorum abnegationem, ac veram animi submissionem & factis & verbis hortatus est. Nuper stultam, absurdam

absurdam & curiosam quæstionem, atque ambitiosam contentionem discipulorum Jesu de primatu explicavimus: Jam porrò Christi ad quæstionem illam responsonem, litisque diremptionem expendemus. Dupliciter Christus ipso instituit, & ab avijs in veram viam reducit;

I. Facto. verf. 2.

II. Verbis, seu facti explicatione. verf. 3. 4.

Christus, qui corde est humilis, nos Spiritu humilitatis donet. *A M E N.*

I. F A C T U M .

Iesus, Apostolis humilitatis studium, odiunque arrogans & primatus instillaturus, *puerulum advocavit, eumque in medio eorum statuit.* verf. 2. Non verbis primùm, sed facto cum ipsis agit. Ad *puerulum* erudiendos ablegat, qui magni sibi & illuminatissimi doctores videbantur. Suum ipsis exemplum ad imitandū proponere potuisset: quemadmodū Paulus Philippenses exemplum humilitatis ab eo petere jubet, dicens: *Is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse se inanivit, formā servi acceptā, similis hominibus factus: & habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Phil. 2. 5. — 8. Verum ut magis discipulorum arrogantiam retundat Christus, à *puerulo*, qui vix fari gradique poterat, eos vult discere, quomodo pravum hunc affectum corrigere debeant. *Advocat puerulum* admodum pusillum, eumque, Marco cap. 9. vers. 36. teste, *in ulnas recepit, & pectori admovit, ostensurus charissimam sibi esse modesti animi simplicitatem & humilitatem.* Tandem *in medio eorum* puerulum statuit. Objectæ enim oculis species magis afficiunt, quam nuda verba. Perinde

inde hoc est, atque si dixisset Christus; Tales vos esse decebat, qualis hic puerulus est. Minimus ille videtur in oculis vestris; sed revera maximus est, mihiique longe gratissimus.

Usus I. ad *didacGraecias* geminam.

I. **N**on verbis duntaxat, sed etiam factis homines doceri possunt. Christus *puerulum advocatum, in medio discipulorum statuit*, ut ab arrogantiâ eos avocatos, animi submissionem doceret. Et in ultima Cœna, quum eamdem de primatu contentionem discipuli movissent & instaurassent, pedum ablutione humilitatem illis commendavit. *Dixit enim eis : Si ego lavi pedes vestros Dominus & Preceptor, vos quoque debetis alij aliorum pedes lavare.* h. e. Multo magis omnis generis officia charitatis, urgente necessitate, mutuo præstare, etiam ea quæ aliâs à minimis & vilissimis præstari solent. *Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan. 13. v. 14. 15. Utilissima hæc atque appositissima est doctrinæ ratio ad demonstrandum, institendum, permovendum, & infigendum res, quas commendas volumus. Nam actio rem oculis subjicit. Ethnici ipsi eadem ratione saepe sunt usi. Tarquinius Superbus Romanorum Rex, nuncio à Sexto filio Gabijs missò, sciscitatum, quidnam se facere vellet? quandoquidem ut omnia unus Gabijs posset, ei dū dedissent; nihil voce respondit, quia dubiæ fidei videbatur. Sed velut deliberabundus, in hortum transiit, sequente nuncio filij: ibi inambulans tacitus, summa papaverum capita dicitur baculo decussisse. Interrogando expectandoque responsum nuncius fessus, ut re imperfectâ, rediit Gabios. quæ dixerit ipse, quæque viderit, retulit: *seu irâ, seu odio, seu superbiâ in sitâ ingenio, nullam eum vocem emissem.* Sexto ubi quid vellet parens; quid ve præciperet, tacitis ambagibus, patuit: *primores civitatis, criminando* *alios apud*

apud populum, *alios suâ ipsius invidiâ opportunos interemit.* Liv. Histor. ab urbe condit. lib. 1. cap. 54. pag. mihi 20. a. Simile quid de Periandro Corinthio Aristoteles commemorat Libr. 3. Politic. cap. 13. pag. mihi 447. Ferunt, inquit, *Periandrum nibil respondisse ei, qui consilij petendi causâ ad ipsum missus fuerat: sed supereminentes spicas demetendo segetem adæquasse. cuius causam cum non intelligeret nuncius, ac factum ab eo narraret, intellexisse Thrasybulū, quod oportebat supereminentes ciues auferre.* Sed missis protanis, ad sacra exempla redeamus. Isthaec docendi & increpandi ratio usitatissima fuit Prophetis. Ieremias non tantum dicit, urbem Hierosolymā vastandam, sed simul *lagenam fictilem frangit*, ut interim illud quoq; significet, quâm nullo negotio vastari possit. Ier. 19.10. Idem Propheta profert *juga*, profert *vincula*, eaque omnibus ostendit: deinde verbis, quid illis velit, exponit, omnibusq; modis, quod commendatū voluit, hac ratione inculcat. Repræsentat autem & præfigurat subjugationem regni Judæ, & quinque circumiacentium regnum à Nebucadnetzare, rege Babyloniae, & reges illos hortatur, ut seie Nebucadnetzari dedant, neque ei servire reculent, nisi gladio, fame, & peste interire, ac in terram perigrinam depelli velint. cap. 27. 2. & seqq. Eiusmodi mystica facta multa in sacris literis leguntur. Aspersio sanguinis victimæ Paschalis ad limina Iudaicarum in Ægypto, indicabat neminem iniustis ædibus ab Angelo interceptore occidendum esse, Exod. 12.13. & sanguine Agni immaculati, id est, Christi, per vivam fidem asperitos morti æternæ non esse obnoxios. Hebr. 10. v. 22. Amputatio præputii carnis in Circumcisione notabat abscissionem peccatorum, & circumcisionem cordis per Dei Spiritum. Ierem. 4. 4. Col. 2. 11. *Carbo ignitus, quo os Esaiae tetigit Angelus Dei*, indicabat Spiritus sancti igne Prophetam illustrandum, repurgandum, accendendū & confirmandum, donum eloquentiæ eidem conferendum, & ver-

bum Jehovæ in ore ejus ponendum, ut Prophétam Iehovæ possit agere. Esaï. 6. 5. & seqq. Ezechiel iussus *volumen comedere*, jubebat sensibus imis reponere illa Dei oracula, quæ exulibus in Babylone erant proponenda & inculcanda. cap. 3. 1. 2. 3. Sic aqua Baptismi significat sanguinem & Spiritum Christi; nobisque federatis remissionem peccatorum per sanguinem Christi, & regenerationem per Spiritum sanctum obsignat. Unde Baptismus *ablutio peccatorum*, Act. 22. 16. & *lavacrum regenerationis* cluet. Tit. 3. 5. Animos ad concinnam *ανάλογων* attendite. Christi sanguine & Spiritu non minus à fôrdibus animæ, h. c. ab omnibus peccatis nostris lavamur, quâm aquâ extrinsecus abluti sumus, quâ fôrdes corporis expurgari solent. Sordes corpus hominis contaminant: ita peccata animam inquinant. Diversè Spiritus sanctus: *Pollunt se homines omnibus defectionibus suis*. Ezech. 14. 11. Verùm ut fôrdes corporis aquâ effunduntur: Sic *Christus sanguine suo nos purificat ab omni peccato*. 1. Ioan. 1. 7. & *Spiritus Dei nos sanctificat*. 1. Cor. 6. 11. Generatio omnis fit ex humido, seu ex aquosa materia. Unde Thales aquam *omnium rerum principium esse* assertuit. Regeneratio fit per *Spiritum sanctum*, qui sâpe nomine aquæ significatur. Ioan. 3. 5. Aqua res duras emollit, terram facundat, & sitim restinguir: Spiritus sanctus *amovet cor lapideum è carne nostra*, & *indit nobis cor carneum*. Ezech. 36. 26. Spiritus sanctus corda nostra fontibus gratiæ rigat, ut frudius *Spiritus edamus, charitatem, gaudium, pacem, iræ colibitionem, benignitatem, bonitatem, fidem, lenitatem, continentiam*. Gal. 5. 22. Spiritus sanctus sitim terrenarum rerum & remissionis peccatorum pellit. Audite Servatorem, suaviter nos ad Spiritus aquas invitantem: *Si quis fitit, veniat ad me, & bibat*. Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, *flumina aquæ vivæ ex ventre ipsius fluent*. Ioan. 7. 37. 38. Calida, arefacta, & ignita aquâ reficiuntur & restinguuntur:

Christi

Christi sanguine flammæ infernales & ignis consumens iræ divinæ, quibus torrendi extra Christum fuissimus, extincta sunt. Eadem beneficia spiritualia aqua Baptismi nobis obsignat. Sigillum enim est & pignus certissimum, quod non minus certò sanguine & Spiritu Christi in remissionem peccatorum aspersi sumus, quam aquâ fôrdes corporis nostri abluuntur. Fidelium quisque ita apud se statuit: Christus promissionem hanc Baptismo annexit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, servabitur*. Marc. 16. 16. Ast ego credo, & in fidei meæ confirmationem, salutari Baptismi aquâ tintitus sum. Certissimè igitur servabor. Hoc scutum ignitis Diaboli tentationibus & peccati angoribus pii opponunt. Quæ Baptismi, eadam sacræ Coenæ ratio est. Panis & vinum significant corpus & sanguinem Christi. Quod enim panis & vinum in naturali: hoc corpus & sanguis Christi in vita efficiunt spirituali. Testis Christus ipse: *Care, mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Ioan. 6. v. 55. Ut panis & vinum vitam præsentem sustentant: Sic corpus & sanguis Christi, animas nostras ad vitam æternam spiritualiter nutriendi. Servator ipse sic analogiam explicat: *Ego sum panis ille vivus qui è cœlo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum: panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vitâ. Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego suscitabo illum ultimo illo die*. Ioan. 6. 51. 54. Ut symbola ore corporis percipiuntur: Ita corpus & sanguis Christi ore animæ, h. e. fide. Perspicue Paulus: *Christus inhabitat per fidem in cordibus vestris*. Eph. 3. 17. Ut panis non deglutitur integer, sed fractus manducatur: Sic corpus Christi percipitur fractum & in cruce mactatum, & sanguis fusus. Ut panis & vinum sine appetitu vescenti non profundit: Sic corpore & sanguine Christi non nisi esurientes & sitientes justitiam, ad vitam æternam pascuntur. Matt. 5. 6. Uti ex multis granis unus fit panis, & ex

ex multis acinis vinum unum: Sic Apostolus; Vnus, inquit, est panis, unum corpus nos illi multis sumus, nam omnes ex uno illo pane participamus. 1. Cor. 10. 17. Adhæc panis & vinum credentibus communionem corporis & sanguinis Christi obsignant. Nam quām verē sacra symbola in Christi memoriae ore corporis percipiimus: tām verē & certō corporis & sanguinis Christi, per operationem Spiritus sancti, participes sumus. Paulum rursus audite: *Poculum benedictionis cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? Panis quem frangimus, nonne communio corporis Christi est?* 1. Cor. 10. 16. Quām verē panis & vinum nobis exhibita, nostra fiunt: tām verē passio & obedientia Christi nostra est, non secus quam si ipsum pœnas illas pro peccatis nostris dedissemus, & Deo satisfecissemus. Sic enim speciatim sibi meritum Christi Paulus applicans, dicit: *Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. 20. Panis sumptus & comedus, vinumque haustum in nobis manent, ac nos sustentant: *Nos edentes Christi carnem, & bibentes ejus sanguinem, in ipso manemus, & ipse in nobis.* Ioan. 6. 56. Panis comedus vinumque haustum, in substantiam corporis & sanguinis nostri transiunt: Nos verā fide corpus & sanguinem Christi percipientes, sacro sancto corpori & sanguini Christi magis magisque, per operationem Spiritus sancti, unimur, ut simus ex carne ejus, & ex ossibus ejus. Eph. 5. 30. *Qui enim agglutinatur Domino, unus cum eo Spiritus est.* 1. Cor. 6. 17.

II. Etiam ab iis, in quibus minima apparet virtutis significatio, discere aliquid possumus. Ad puerulum Christus discipulos suos ablegat. Ab iisdem humilitatem se didicisse fatetur David: *O Iehova, inquit, non superbit cor meum, nec effruntur oculi mei: nec ambulo in rebus magnis, & mirabilioribus, quām ut ego eas assequar.* Nisi composui & sedavi animam meam, sicut ablatus apud matrem suam facit; nisi sicut ablatus, apud me fuit anima mea: puniat me Deus. P̄sal. 131. 1. 2.

Nimirum

Nimirum ab ore infantium & lactentium robur fundavit Iehova. Psal. 8. 3. Et utinam hodie pueri, cognitione Christi, fide, animi submissione, & vitæ integritate, ut plurimum senes non vincerent! Quid? quod Deus, ingratitudinem nostram & superbiam retusurus, non ad pueros duntaxat nos remittit, sed saepe ad boves & asinos: *Agnoscit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: Israël non agnoscit, populus meus non animadvertis.* Esai. 1. 3. Itemque ad volucres, suis temporibus remeantes & commeantes: *Etiam ciconia in caelo novit stata tempora sua, & turtur grusque & hirundo observant tempus adventus sui: at populus meus non noverunt jus Iehova.* Ierem. 8. 7. Christus suos ab inani & præpostera vīctus & amictus solitudine avocaturus, ad aves & flores agri ablegat: *Intuemini in volucres cœli: non enim serunt, neque metunt, neque cogunt in horrea, sed Pater ille vester cœlestis alit eas: nonne vos multo præstatis eis?* De vestitu quid solliciti eis? *discite quomodo lilia agrorum augescant: non fatigantur, neque nent.* Sed dico vobis, ne Solomonem quidem cum universa gloria sua sic amictum fuisse ut unum ex istis. *Quod si herbam agri, que hodie extat, & cras in elibanum coniicitur, Deus ita circumvestit: nonne vos multo magis, o exigua fide prædit?* Math. 6. 26. 28. 29. 30. Nemini ergo mirum videri debet, si Deus aliquando juvenum, abjectorum coram mundo, hominumque simplicium ministerio, ad propagandum regni sui fines utatur. Ad arduum & admirandum opus collectionis Ecclesiæ novi Testamenti Deus elegit Apostolos, homines privatos, humiles, imbelles, imperitos, infantes, quibus nulli omnino videri poterant minus idonei. Hostes veritatis Euangelicæ eos contemptim & fastidiosè homines illiteratos & idiotas appellabant. Act. 4. 13. Causam assignat Apostolus: *Quæ stulta sunt mundo, elegit Deus, ut pudefaciat sapientes: & quæ sunt infirma mundi, elegit Deus, ut pudefaciat valida.* 1. Cor. 1. 27. Quibus meritō adjungo illud ejusdem:

dem : *Habemus thesaurum hunc in testaceis vasculis, ut haec hunc potentiæ supereminentia sit Dei, & non ex nobis.* 2. Cor. 4. v. 7. Ecce humilitas ministrorum & externus personæ contemnus locum dat Dei gloriæ: *Neque enim is qui plantat, est aliquid, neque qui rigat: sed Deus, qui dat crescendi vim.* 1. Cor. 3. 7. Scientissimi atque expertissimi est artificis, malo & incepto instrumento idem efficere, quod aliis aptissimo atque appositissimo vix possit: sicut Apellem carbōne de foco sumto, ita eum à quo esset ad Ptolomæi prandium invitatus, expressissime tradunt, ut omnes invitatorem illum ad primam delineationem agnoscerent. Sed mirandum non est, Deum quæ velit in congruentibus præstare instrumentis, qui instrumentis omnino nullis indiget, quicquid fingere statuerit. Itaque misit paucissimos ad quam plurimos, rudes ad peritissimos, misit infantes ad armatos, imbellies ad bellicosos, inopes ad imperium populi Romani. Conveniebat enim tantam esse in primis illis ædificiis hujus exstructoribus humilitatem, ne ipsi humanis viribus artibusque aliquid tribuerent, aut in eis spei quicquam ac fiduciae collocarent, sed sibi penitus diffisi, ab ope & præsidio Dei penderent. Tum ne quis stulte ac dementer aliquid ex iis quæ facta essent, humanæ potentia attribueret. Ne ipsi quoque Apostoli humilitatem ullam possent aspernari, memores suæ. Ab hac causa Paulus, de ministerii sui sutorumque cooperiorum dignitate atque efficaciâ differens, & arrogantiæ crimen à se removens, omniaque à se & collegis gesta Dei virtuti tribuens, exclamat: *Ad hæc quis idoneus?* 2. Cor. 2. 16. Non pendet ab hominibus infirmis virtus verbi prædicati, sed à solo Deo, qui *potentiam suam per infirmitatem eorum consummat.* Ibid. cap. 12. 9. Quare oculos ab hominibus aversos, ad solum Deum reflectere debemus, ac non qui, sed quid ministri & legati Dei loquantur,

attent-

attendere: sicuti munere aliquo à rege vel principe ornati, nuncium illud offerentem non moramur, sed liberalitatem donantis & mittentis agnoscimus, ipsumque munus dignè æstimamus. Ac sanè eo altius hujus rei consideratio animis nostris infixa hærebit, quod ab ipsis Ecclesiæ incunabulis Deus ad ejus ædificationem homines mundo despectos adhibuit, magnaque per parvos præstit. Elisæum ab arostro protractum, ad colendum Ecclesiæ agrum, & ad aranda corda hominum vocavit. 1. Reg. 19. 19. Amosus Propheta, rationem vocationis sui, Amaziæ regi exponens, ait: *Non Propheta eram, neque filius Prophetæ eram: sed bubulus eram, & perquirens sycomora ad victimum: quum assumperit me Iehova à sequendo grege; & edixit mihi Iehova, abi, propheta apud populum meum Israelem.* Amos. 7. vers. 14. 15. Apostolos, ex infimo hominum genere petitos, Judæorum Scribis & Gentium Philosophis, imò Romanis Imperatoribus, orbis terrarum dominis, opposuit, & illorum operâ totius Orbis faciē innovavit. Piscatoribus, piscibus capiendis retibusve sarcientis Christus edixit: *Sequimini me, & faciam vos pescatores hominum:* Matth. 4. 19. ab hoc tempore vivos capietis homines. Luc. 5. 10. Matthæum ad publicanorum mensam sedentem, & homines pecuniâ emungentem, animabus lucrifaciendis destinavit. Matth. 9. vers. 9. Paulum tabernaculorum opificem elegit ad restaurandum tabernaculum collapsum Davidis. Act. 15. vers. 16. Cujus, quæsto, pretij erat cæcus ille natus, qui coram Pharisæis tantâ προσέντει utebatur, & causam Jesu Christi uebat longè fortius & doctius, quàm vel oratorum disertissimus quispiam? Ioan. 9. Hieronymus Stridonensis sanctus fuit & eruditissimus, ac supra omnes eloquentissimus Ecclesiæ doctor, de quo non-nemo: *Quo tandem modo, inquit, aut quibus ego verbis, tuam, maxime Hieronyme, ingen-*

tem simul pietatem ac facundiam describam? Quonam modo tot
linguarum simul & totius propè antiquitatis ac Philosophiae admi-
rabilem peritiam? Quomodo heroicum illum inscribendo & cœle-
stem ardorem tuum, quo imbelle hæreticorum agmen, non secus
quād muerone quodam stricto, persecutus es ac profligasti? Quæ
omnia profanos etiam in admirationem rapiant. Vérum neque
familie splendore, neque amplis divitiis, neque authorita-
te, neu aliis terrenis comodis, illustris fuit Hierony-
mus. Ipse de se scribit: *Natus in paupere domo & tugurio
rusticano, vix milio, & cibario pane, rugientem saturare ventrem
poteram.* Epist. ad Nepotian. Quod autem non in verbis si-
zum sit regnum Dei, sed in Spiritus potentia, 1. Cor. 4. v. 20.
ostendit maximè memorabilis historia, quæ à Ruffino
recitatur lib. 1. Histor. Eccles. cap. 3. Senex quidam in
Synodo Nicena, doctrina & artibus minimè instructus, sed
confessor Christi constans, non dubitavit se opponere Phi-
losopho facundo & ingenioso, & cū eo de veritate fidei di-
sputare. Neque verò præstigias sermonis versuti & callidi,
sed evidentem & planam sententiam veritatis adhibuit:
*Audi, inquit, Philosophhe, unus est Deus, cœli & terræ, & omnium
tum visibilium quād invisibilium Opifex, qui universa creavit ef-
ficacia Verbi, & sanctitate Spiritus sancti sui firmavit. Hic igitur
dóros, quem nos Filium Dei appellamus, misertus hominum,
qui in errore brutorum similem vitam degerent, sustinuit de muliere-
nasci, & versari cum hominibus, & pro ipsis mortem oppetere. Ven-
turus est autem rursum ad judicium ius, quæ ab unoquoque ad-
fuerunt in vita.* Hæc ad istum se modum habere credimus, neque
in ullam partem curiosè inquirimus. Ne igitur te frustra defa-
tiges, vestigando argumenta & demonstrationes eorum, quorum
perfectio est fides: aut sciscitando de modo, quo aliquid horum fie-
ri aut non fieri potuisse videatur: sed responde interroganti mibi,
An hæc credas? Hac oratione percussus Philosophus ille,
Credere se ait: & se victum esse gaudens, eadem profiteri ac
sentire.

sentire, quæ Senex, & aliis suadere, ut secum consentirent,
sanctè dejerans, divinitus factum esse, ut ad amplectendam
religionem Christianorum converteretur. Donec enim verbis,
inquit, mecum gesta res est, verba verbis opposui, & que dicebantur
dicendi arte subverti: *Vbi verò pro verbis virtus processit ex ore
dicentis, non potuerunt verba resistere virtuti, nec homo adversari
potuit Deo.* Plena est universa Ecclesiæ historia talium ex-
emplorum, quæ declarant Deum in nostra infirmitate ro-
bur & vires suas exercere. In historiis Martyrum narratur de
quodam Opifice, qui quum esset in vincula conjectus
religionis nomine, & ad judicem deinde pertra-
ctus, ut ad iuorum adversariorum accusationes, &
ad articulos omnes quæstionis in ipsum habitæ respon-
deret; coram suo judice tantâ cum animi confiden-
tiâ, & tâm appositiæ ad singula postulata respondit, ut ma-
gnam sui admirationem apud eum concitârit: adeò ut
ex eo percontatus fuerit, unde ea quæ diceret, didicisset, &
unde tantam dicendi libertatem haberet, siquidem in Scholis aut
Academiis nullam partem ætatis sua trivisset. Cui uno verbo
respondit bonus ille vir, se ejusdem virtute loqui, cuius asina
Balaami quondam loquuta fuisset. Hoc ipsum objectit Moïs Deus,
cum toties sibi demandatâ Pharaonis adeundi provinciam,
quâ populum suum servitute liberare juberetur, à se rejicere
conatus est, oris balbutiem & linguae tarditatem excusans,
suam denique in dicendo imbecillitatem, quâ impediretur
quominus eam ad tantum Regem legationem obire aude-
ret; cui proinde Dominus respondit: *Quis statuit os homini?
aut quis statuere potest mutum aut surdum, aut sensibus valentem,
aut cœcum? nonne ego qui sum Iehova? Nunc itaque i: & ego ade-
go ori tuo; & docebo te quæ loquiturus es.* Exod. 4. 11. 12.

I I . F A C T I E X P L I C A T I O.

Dixit Iesu: Amen dico vobis, nisi converteritis vos, & fatis ut pueruli; nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum. Hic in antecessum notandum; Christum non respondere ad stultum Apostolorum ζῆτην, quis esset maximus; sed docere, quid facere, quidve vitare illi debeant, qui confortes regni cœlorum esse cupiunt. Extra omne dubium Christus ipse futurus erat maximus. Eum enim Deus collocavit ad dexteram suam in cælis, longè supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro. Et omnia subiecti ejus pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ. Eph. 1. 21. 22. Quod ipsum uberiori alibi prosequitur Apostolus: Deus Christum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genuse flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum. Omnisque lingua profiteatur Iesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris. Philip. 2. v. 9. 10. 11. Certissimum hoc est, quippe eventu ipso comprobatum. Verum Christus discipulos suos vult discere, quales regni sui cohaeredes habiturus sit.

Ufus I. ad ἐλεύθερον.

Quisquis regnum cœlorum ingredi avet, is primò studiosè atq; diligenter curet, ut de ingredientiū sit numero. Sic in stadio currentium cura prima est, ut vincant: agonothetæ autem est, præmia inter victores distribuere, gradusque honorum ponere. Nos milites sumus in casulis Iehovæ. At perspicue Paulus: Quod si certet etiam aliquis, non coronatur nisi legitime certaverit. 2. Tim. 2. 5. Ergo, ex eisdem

I N M A T T H. X V I I I.

iusdem Apostoli monito, bonam illam militiam militemus, reginantes fidem & bonam conuenientiam. 1. Tim. 1. 18. 19. ut pugnâ strenuè & fideliter defuncti, eidem succlamare possimus: Certamen illud præclarum decertavi, fidem servavi. 2. Tim. 4. v. 7. De stipendio & coronâ non est quod simus solliciti. Paulum rursum audiamus: Quod reliquum est, inquit, reposita est mihi justitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iustus ille judex. 2. Tim. 4. 8. Nec aliter ipse cœlestis Brabeutes: Esto fidelis usque ad mortem. Hoc tuum est facere; Addit autem: Et dabo tibi coronam vite. q. d. De hoc tu ne sis sollicitus. Apoc. 2. 10. Stultus esset agricola, qui secum reputaret, quot modios & plaustra frumenti, anno sequente, ex agro fit in horreum collecturus: nec tamen aratro manum admoveret, nec semen terræ mandaret, nec agrum stercoraret. Stat enim illud: Agricolam oportet prius laborando fructus percipere. 2. Tim. 2: 6. Sic tu: vineam Domini colito, lementem eleemosynarum in agro pauperum serito, æstum pondusque diei portato. Deus uberrimos fructus non negabit. Laborantibus merces est promissa, militantibus, corona gloriæ, currentibus, brabium. Nos ne desimus officio; certi Deum promissis statutum. Nervosè Paulus: Non iustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & laboriosæ charitatis, quam ostendistis erga ipsius nomen: ut qui ministraveritis sanctis & ministretis. Hebr. 6. 10.

Ufus II. ad ἐλεύθερον Pontificiorum.

Quod si Christus primatum in Ecclesia stabilire voluisset, qualem sibi Pontificii imaginantur, tribus verbis discipulis, de primatu per disceptationem decertantibus, ac ut suum judicium interponat rogantibus, respondere potuisse: Petrus erit primus & maximus. Verum nihil horum facit: quin potius magnâ severitate primatum inter Aposto-

C O N C I O S E C U N D A

Apostolos compescit. Imò nunquam eis hanc quæstionem solvit, sed semper ab ea illos ad humilitatem revocavit. Ac ne in ultima quidem coena à resurrectione dixit: Petrus est major, sed ex æquo eis Apostolatum commendavit. Ioan. 20. 21. 22. 23. In Ecclesia unus & solus Christus inter omnes & in omnibus est πρωτόνος, h.e. primas tenet. Col. 1. 18. Solus est constitutus caput super omnia Ecclesiæ. Eph. 1. 22. Solus sponsus est Ecclesiæ. Huic uni viro, Christo, Paulus Corinthios, ut virginem puram stitit. 2. Cor. 11. 2. Solus est Ecclesiæ fundamentum. Disertè Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest statuere præter id quod possum est, quod est Jesus Christus.* 1. Cor. 3. 11. Soli Christo data est omnis potestus in cœlo & in terra. Nec mirum. Ipse enim nobis cum est omnibus diebus usque ad consummationem seculi. Matth. 28. 18. 20. Apostolis eorumque veris successoribus, Ecclesiarum pastorebus, omnis primatus & dominatus præcisè denegatus est, & serio à Christo interdictus. Quid enim est hoc illo evidentius: *Reges gentium dominantur eis, & qui auctoritatem habent in eas, benefici vocantur. Vos autem non ita estote. sed qui maximus est inter vos, esto sicut qui minimus est: & qui ductor est, sicut qui ministrat?* Luc. 22. 25. 26. Huc huc aures arrigant animumque advertant Pontifices Romani eorumque parasiti, qui longum contexunt catalogum terrarum & urbium, quas Petri patrimonium dicunt. Ex hoc Christi interdicto planè constat atque perspicuum est, neque Petrum, neque collegas ejus quicquam hujus habuisse. Pontificii Constantini, Pipini, Caroli Magni atque Ludovici donationes prætexunt. Nos illis verba Christi opponimus, ex quibus apparet, ipsos ista non debuisse accipere, quum Christus tamen disertè interdicat, ne instar principum hujus seculi cuiquam dominantur aut imperent. Unde ergo ista habent? Ex eo nimirum, quod in hac etiam parte Romanos Pontifices palam testari oportuit, ipsos magni illius *arrimeūs* sive

sive Antichristi spiritu agitari, cui ambitionem & fastum intolerabilem cum insatiabili avaritia conjunctum Apostoli, Paulus, Petrus & Ioannes tribuunt, 2. Thess. 2. 3. 4. 2. Petr. 2. 3. Apoc. 13. 17. & cap. 18. 11. & seqq. De Christo legitur, quod cum ipsi totius mundi regna Satan offerret, & vicissim ut prostratus se adoraret, peteret, cum magna indignatione eum rejecerit, dicens: *Abcede à me Satana. scriptum est enim: Adorabis Dominum Deum tuum, & eum solum colles.* Luc. 4. v. 6. 7. 8. Petrus item à Simone Mago oblatam pecuniam recipere noluit. Act. 8. 20. & Cornelio Centurioni ipsum adorare volenti, dixit: *Surge: & ego ipse homo sum.* Ibid. cap. 10. 26. At non ita Pontifices, qui melius rebus suis consulturi, primatum in Ecclesia à latrone Phoca ipsis concessum avidè amplexi sunt, deinde terras alienas sibi donatas similiter acceperunt, & sublimes aliorum humeris gestari, regesque ad pedum suorum oscula procumbere volunt. Itaque non Christi exemplum sequantur, sed Gechazi spirituducuntur, qui quæ herus Eliæus à Nahamane Syro oblata munera accipere noluit, ipse mox heri nomine impudenter postulavit. 2. Reg. 5. Hujus vestigia cum premant Pontifices, & ab his creati Cardinales, Episcopi & Abbates, non pro Apostolicis haberent, sed digni sunt qui cum Gechazi leproso ab Ecclesiæ consortio excludantur, & quibus idem dicatur, quod Petrus olim Simoni Mago: *Pecunia vestra, & primatus vester, & omnne regnum vestrum vobiscum pereat.* Act. 8. 20. Certè Apostoli, repleti Spiritu sancto, primatum nec affectarunt, nec de eo se jactarunt, nec dominatum vel in collegas, vel in auditores eorumve fidem exercuerunt. Istud sacrilegii & spiritualis tyrannidis crimen, imò vel levissimam arrogantiae suspicionem à se amoliti sunt. Pauli est illud: *Non dominamur vestra fidei: sed administris sumus gaudii vestri.* 2. Cor. 1. 24. Nimis fides, hominum imperio non est obnoxia: nullam illa subiecti-

jectionem agnoscit, quam Verbi Dei. Ipse Petrus primatum nec affectavit, nec sibi arrogavit: sed *συμπεριέργεια* se humiliter vocavit, & re ipsa præstítit. Omnes etiam presbýteros, id est, eos qui Ecclesiæ curam gerunt, hortatur, ne dominantur cléris, sed ut sint exemplaria gregis. 1. Petr. 5. 1. 3. Ac in genere omnes subjectos esse voluit cuivis humanæ ordinatio tioni propter Dominum. 1. Epist. 2, v. 13. De seipso ne γένοντι quidem.

His præmissis ac prælibatis, consideremus:

I. Quid ab Apostolis Christus exigat:

II. Quibus de causis.

Quod ad prius (de quo impræsentiarum) duo ab Apostolis postularat.

I. *Vt se convertant.* Utique Apostoli verè jam ad Deum erant conversi. Ideo beatum Christus Petrum cum collegis pronunciárat, quippe salutiferá ipsius cognitione divinitus ornatum. Matt. 16. 17. Et ipsi Apostoli suæ sibi fidei consciæ & certi, orárunt Dominum, *Adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. Inde sunt illa Christi ad Apostolos: *Vos puri estis,* h. e. à me purificati à peccato e jusque dominatu. Ioan. 13. 10. *Iam vos puri estis propter sermonem quem loquutus sum vobis,* & quem vos verà fide recepistis. Ibid cap. 15. 3. Loquitur autem hīc Christus de *aversione* discipulorum ab ambitione & superbia. Nam de primatu disceptantes, de regia demissionis animi via, quæ in cœlum ducit, declinârunt, & viam illam latam ac deterrimam ambitionis & arrogantiae, quæ in æternum exitium abducit, ingressi erant. Scilicet non erant impeccabiles Apostoli. Utut *spiritus,* seu affectus animi qui à Spiritu sancto gubernabatur, *promotus erat, at caro erat infirma.* Matth. 26. 41. Mansit in Apostolis, peccatrice carne vestitis, uti in omnibus regenitus, lucta carnis & spiritus, quam ita Paulus describit: *Caro concupiscit*

Cupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc autem inter se opposita sunt, ut non quæcumque volueritis, eadem faciatis. Gal. 5. 17. Ergo ab ambitionis via Christus discipulos vult recedere, ac in viam contrariam humilitatis, quâ ad Altissimum pervenitur, transire. Verbo dicam: vult eos alios esse, quam nunc sint. Neque tamen existimandum, iſthanc *conversionem* in Apostolorum viribus ita sitam fuisse, ut efficax Dei operatio excludatur. Est enim *conversio* vel prima, vel orta. *Illa,* quâ quis primùm convertitur: & ad Deum solum pertinet: qui hominis, à Deo per mentis cætitatem & cordis lapidei duritiem, aversi, per Spiritum sanctum oculos mentis aperit & illuminat, Eph. 1. 18. & *cor lapideum aufert, ac novum & carneum,* h. e. flexible ac ductile efficit ac reformat, Ezech. 36. 26. actumque internum & habitum fidei & charitatis indit. Jerem. 31. 33. 34. 1. Tim. 1. 5. *Hæc* verò est, quâ hoc habitu donati & conversi se porrò, Deo adjuvante, convertunt, eoque orta hæc conversione, & Deo ut causæ principali, Ezech. 36. 26. & hominibus conversis, ut causæ proximæ, attribuitur. Huc pertinet illud Ieremiæ: *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus. Nam postquam conversus fuero, paniabit me;* & *postquam offendsum fuerit mihi, applaudam memori.* Ierem. 31. 18. 19. Voluntas à Spiritu sancto jam renovata, non tantum agitur & moveatur à Deo, sed à Deo acta, agit & ipsa. Quamobrè etiam homo ipse per gratiam istam acceptam, credere & resipiscere, rectè dicitur.

Uſus ad παιδείαν.

Q uicunque servari cupiunt & in regnum cœlorum ingredi, conversione indigent. Illud alibi Christus vocat *renasci,* & asseverantissime ait: *Amen amen dico tibi, nisi quis genitus sit iterum, non potest videre regnum Dei.* Ac ut si rō se loqui remque agere testetur, subjungit: *Amen amen dico*

dico tibi , nisi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu , non potest introire in regnum Dei . Ioan . 3 . v . 3 . 5 . Nimis ut lucem mundi non conspicunt , qui ex matre non sunt nati : Ita nec coelestem intuebuntur lucem , nisi qui iterum ex Spiritu sancto fuerint geniti . Qui peccat , latâ viâ incedit , ac à Deo recedit , inque exitium properat . Qui servari desiderat ; à spatio mundi viâ , in strictam Dei viam , quæ ad vitam æternam dicit , redit . Perspicuè Servator : *Introite per angustam portam : quoniam lata est porta & spatiovia quæ abducit in exitium , multique sunt qui introeunt per eam . Quia angusta est porta & stricta via quæ dicit ad vitam , & pauci sunt qui inveniant eam . Matth . 7 . vers . 13 . 14 .* Magi , qui ab Oriente Christum adoratum advenerant , divinitus in somnio admoniti , per aliam viam regressi sunt in regionem suam , quamquam quâ patriâ exiverant , & ad Herodem venerant . Matth . 2 . 12 . Ita nos converti ; & per aliam viam ad Deum , & in coelestem patriam , à qua exulamus , redire oportet , quamquam quâ exivimus . Ideo Lystrensis idololatri Paulus & Barnabas edicunt : *Annunciamus , ut à vanis istis rebus convertatis vos ad Deum illum vivum . Act . 14 . v . 15 .* Recessimus à Deo per viam peccati : revertamur ad eum per viam justitiae . Abivimus à Deo per viam incredulitatis , desperationis , odij , impudicitiae , intemperantiae , risarum : redeamus ad Deum per viam fidei , spei , charitatis , castitatis , temperantiae , pacis . Fugimus à Deo per viam ambitionis & arrogantiae : recurramus ad Deum per viam humilitatis atque demissionis animi . *Propinquus est Iehova fratribus animo : & contritos spiritu servat . Psal . 34 . vers . 19 .* Atque hoc est recedere à malo , & facere bonum . Ibid . vers . 15 , quibus duabus partibus vera ad Deum conversio constat . *A malo recedendum ; nam iniurias nostræ discriminant inter nos & Deum nostrum , velut interclusus paries : & peccata nostra faciunt , ut occultet faciem à nobis , ne exaudiatur . Esai . 59 . vers . 2 .*

Bonum

Bonum faciendum est ; quia nos Deo , qui summum Bonum est , jungit . *Quod si in luce ambulamus , inquit Johannes , sicut ipse est in luce , communionem habemus cum eo mutuam . 1 . Epist . 1 . v . 7 .* Duo ista archissimè à Deo juncta , non sunt divellenda . Non prodest peccatorum fuga , nisi cum studio justitiae sit conjuncta . Viatores sumus , & ad coelestem Hierosolymam tendimus : quid juvat peccatorum viam reliquisse , nisi justitiae viam ingrediamur atque calcemus ? Egri sumus ab anima per peccata : frustra pravii peccatorum humores expurgantur , cæcitasque ex intellectu , malitia ex corde , & *atra* ex affectibus pellitur , nisi sanitas animæ , menti cognitione & sapientia , cordi justitia & sanctitas , atque *atra* affectibus restituatur . Num tibi probaretur servus , qui à lusu , compotationibus , scortatione & oblocutione abstinenens , totum diem in otio consideret , nec vocationis & officij partes exequeretur ? Non tantum à malo nos vult recedere dominorum Dominus , sed etiam in vinea sua strenue laborare . Nec aliorum tendunt illa Pauli , qui sibi imperatum à Domino afferit , *ut aperiat oculos auditorum , & convertat eos à tenebris ad lucem , & à potestate Satanae ad Deum . Act . 26 . vers . 18 .* Medicina Hippocrate teste , nihil est aliud , quam sublatio noxiorum & superfluirum humorum in corpore humano , & restitutio bonorum , qui in illo defunt . Conversio ad Deum (quam jure medicinam animæ dixeris) est depositio peccatorum , quæ animam onerant ; & studium pietatis ac justitiae , quo anima reficitur & roboratur . Exemplis confirmo . Rege Manasse vix superborem & arrogantiorem Sol aspexit , qui idolatriâ , incantationibus , magiâ & dementissimâ ambitione Deo ipsi bellum indixit ; & sanguinis innoxij fusione , ac piorum oppressione , effrænâque & indomitâ scelera quævis audendi licentiâ generi humano insolentissimè insultavit . Sed conversus , deprecatus est faciem

K . 3 .

ciem

ciem Iehovæ Dei sui, depresso se valde coram Deo majorum suorum. 2. Chron. 33. 12. Filius prodigus in Deum ac patrem suum impudenter & arroganter insurgebat, ac bona paterna cum meretricibus abliguriebat. Dura isthaec & dira vox est, quâ cum mitissimo Patre immorigerus & ferreus filius expositulabat: *Pater, da mihi partem substantie ad me attinentem.* Luc. 15. 12. Verùm ad incitas redactus, & ad Deum conversus, ex sensu peccatorum cum tristitia & pudore conjuncto, in supplices hafce & humiles voces erupit: *Pater, peccavi in cœlum & in tuo conspectu: neque amplius sum dignus vocari filius tuus: fac me ut unum ex mercenariis tuis.* Ibid. vers. 18. 19. Paulus ante conversionem erat lupus rapacissimus, *blasphemus, persecutor Ecclesiae, contumeliosus,* 1. Tim. 1. 13. *fidei vastator.* Gal. 1. 23. Lucas animum ejus furoribus inflatum ita fuisse scribit, ut belluarum instar omnem humanitatis sensum exuerit: *Saulus, inquit, adhuc spirans minas ac eadem adversus discipulos Domini, adiit Pontificem maximum, & petiit ab eo epistolæ perferendas Damascum ad synagogas: ut si quos invenisset hujus sectæ tum viros, tum mulieres, vindictos abduceret Hierosolymam.* Act. 9. 1. 2. Post conversionem factus est ovis mitissima, imò fidelissimus ovium pastor, fidei prædicator & propagator, Dei laudator, illustrissimum humilitatis exemplar. *Ego, ait, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea quod persecutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Cor. 15. vers. 9. Refert Ambrosius, adolescentem post amores meretricios peregrinoprofectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrit dilecta, que ubi non interpellatam mirata putaverit non recognitam, rursus occurrens dixerit; *Ego sum;* responderit ille: *Sed ego non sum ego.* lib. 2. de penitentia, cap. 10. Et quotidie obvia sunt exempla conversorum, qui abnegat & impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & pie vivunt in presenti seculo. Tit. 2. 12. Petrus eos non amplius cupiditatibus homi-

bominum, sed voluntati Dei, quod in carne reliquum est temporis, vivere afferit. 1. Epist. 4. 2. Verùm enim verò, quum hoc in nostris non sit situm viribus, Deus, qui solus resipicentiam dat Israeli, Act. 5. 31, precibus nobis adeundus est & solicitandus cum Davide: *Cor mundum crea mihi, ô Deus: & spiritum firmum renova intra me.* Psal. 51. 12. Et cum Jeremiah Propheta: *Converte me ut convertar, quia tu es Iehova Deus meus.* cap. 31. 18.

II. Jam porrò Christus indicat discipulis, quâ in re ipsis præcipue opus sit conversione. *Nisi, inquit, fatus ut pueruli.* Et dicitur: *Sicut puerulus iste: Quis puerulus iste fuerit, non exprimitur.* Sunt nugarum institores (inter quos est Nicéphorus, lib. 2. Histor. Ecclesiast. cap. 3.) qui fabulantur hunc fuisse Ignatium, Petri & Enodij successorem, qui Antiochiae Episcopum egit, & sub Trajano Imperatore martyrij coronâ insignitus fuit; quem hoc omne Christus episcopatui consecrârit. Ex Pontificiis Cornelius Iansenius Gandavensis Episcopus in hæc verba scribit: *Putatur puerulus iste fuisse Marialis ille, qui postea discipulus Petri existens in Germaniam missus ab illo, predicandi Euangelij gratiâ: de quo vide glossam in capite uno, de sacra undione.* Commentar. in Concordiam Evangelicam, cap. 70. pag. mihi 526. b. Fabulas isti narrant, & cerebri sui commenta, quæ nullâ verisimili ratione nituntur. De quibus Paulus: *A veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò divertent.* 2. Tim. 4. 4. Cæterum quum Christus discipulos suos vult fieri similes puerulis, similitudo principali ejus scopo atque intentioni adæquanda est, neque extra eam extendenda. Non est Christo propositum docere, puerulos omnis esse expertes peccati, atque in eo imitandos. Suis enim laborant nævis & vitiis pueruli: petulantes sunt, immorigeri, ambitiosi, iram facile colligunt & temerè ponunt, in horas mutantur. Salomon tribus verbis dicit: *Stultitia*

titia alligata est animo pueri. Prov. 22. 15. *Pueri parvi erant qui Elisæo Prophetæ illudebant.* 2. Reg. 2. vers. 23. Conscientia peccatorum pueritiae Davidi querulas istas voces extorfit: *Peccatorum pueritia meæ & defectionum mearum ne recorderis: pro benignitate tua recordare me ita, propter bonitatem tuam, Iehova.* Psal. 25. verl. 7. Ac licet paucissimis & levissimis actualibus peccatis infecti sint pueruli, omnes tamen originali labe sunt inquinati. Davidem testem locupletissimum fideq; dignissimum sisto. Disertè ille: *En cum iniquitate genitus sum: & cum peccato concepit me mater mea.* Psal. 51. 7. Neque sequius Jobus: *Quis edat mundum ex immundo? ne unus quidem.* cap. 14. 4. Quibus addi meretur illud Apostoli: *Per utrum hominem peccatum in mundum introiit ac per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pervasit in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5. 12. Servus gignit servos: pauper pauperes. *Et quod genitum est ex carne, caro, est.* Ioan. 3. 6. Adamus genuit Sethum ad similitudinem suam, ad imaginem suam, sc. non ad illam puram Dei imaginem, secundum quam à Deo creatus fuerat (hæc enim erat deformata) sed ad illam imaginem quæ tunc in Adamo & Eva uxore fuit, putâ corruptam ex peccato. Gen. 5. v. 3. Idipsum Paulus non obscurè monet, quando ad Ephesios scribit: *Eramus naturâ filij iræ, ut etiam reliqui.* cap. 2. 3. Quod si naturâ filij iræ sumus; naturâ peccatores sumus oportet, quando solum peccatum iræ divinæ causa est. *Patet enim ira Dei è cœlo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum.* Rom. 1. 18. Nemo hic excipitur, ne infans quidem nondum natus. Loquitur communis omnibus mors, à qua infantes minimè sunt immunes. Est autem mors, *peccati stipendum:* Rom. 6. 23. quod justè non potest nisi peccatoribus irrogari, quum omnis poena, si justa sit, poena peccati sit: nec morte puniri debeat, qui aculeum ejus non sensit. Quæ quum ita sint, nemini ambigum est, verissimum esse quod Deus ipse pronunciavit:

Figmen-

Figmentum cordis hominis malum esse à pueritia ipsius. Gen. 8. vers. 21.

Nec scopus Christi est, discipulos suos ad imitationem puerilis inscitiae & inconstantiae exhortari. Nam ab ea Dei Spiritus graviter nos & serio dehortatur. Pauli sunt ista: *Fratres, ne estote pueri prudentiæ: sed malitiæ infantes, prudenter vero adulti estote.* 1. Cor. 14. vers. 20. *Ne sumus amplius pueri, qui fluctuamus & circumferamur quovis vento doctrinæ, in hominum alea,* per veterotoriam ad artificiosè fallendum verutiam. Eph. 4. vers. 14. Ridemus pueros, quod res admodum parvas ac frivolas demirantur, chariusque amplexantur; magnas vero ac valde utiles non item: sed eas vel negligunt, vel etiam contemnunt. Ut si incident in librum qui majusculas literas habeat coloratas ac figuratas, illas demirantur: vim autem & verborum sensum prorsus non curant. Nec minus risu digni, qui rebus externis, fluxis, supervacaneis intenti & inhærentes, thesauros cœlestes, & mysteria salutis fastidiunt & flocci aestimant. Puerilis hæc est stultitia. Hoc est (quod vulgo dici solet) umbram pro corpore, verba pro farina, pilos pro lana, imò scorpium pro perca captare. Isti *vani sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est cor eorum intelligentiæ carens.* Quum se didicent sapientes, stulti facti sunt. Rom. 1. 21. 22. Adhaec pueri, existimantes se honesta & utilia quædam appetere, dedecus & maxima incommoda sibi frequenter accersunt. Nam judicio carent, neque rerum delectum habent: oblectant se strepitu, omisis veris & solidis bonis, quin & inter se colludentes nonnulla quandoque proferunt, quæ tam à se quæ ab alijs non intelliguntur, & novis rebus magnopere moventur, atque iis potissimum quæ admirationem patiunt. His similes sunt homines carnales, qui puerilia & minima lectantes, ad res ad salutem absolute necessarias a nimum nunquam extollunt: qui *sanam doctrinam non sufficiunt.*

L

rentes

rentes, auribus pruriunt, ac ipsi sibi secundum suas peculiares cū-
piditates doctores coacervant. 2. Tim. 4. v. 3. qui rebus novis
gaudentes, veterem veramque salutis viam vel ignorant,
vel fastidiunt. Hoc nomine Christus perstringit Iudæo-
rum antistites: *Vae vobis Scribæ & Pharisæi hypocrita, qui de-*
cimatis mentham & anethum & cumminum, & omittitis quæ gravi-
ra sunt Legis, judicium & misericordiam ac fidem. Matt. 23. 23.
Sic peregrina videbantur Atheniensibus, quæ salutis avidis
& studiosis notissima sunt: & nova, quorum ignari, exhae-
redes æternæ vitæ semper fuerunt. Lucanū audite: *Quidam*
ex Epicureis & Stoicis Philosophis conflictabantur cum Paulo: &
quidam dicebant, Quid vult garrulus iste dicere? Alij verò pe-
regrinorum Deorum videtur annunciator esse, quoniam Iesum &
resurrectionem ipsis annunciat. Et apprehensum eum duxerant
in Areopagum, dicentes, *Possimusne scire quæ sit ista nova de-*
qua tu loqueris doctrina? Peregrina enim quedam infers auribus
nostris, volumus ergo scire quidnam ista sibi velint. Ceterum A-
thenenses omnes & inquilini peregrini, nulli alijs rei vacabant nisi
ad dicendum aut audiendum aliquid novi. Act. 17. v. 18. - 21.
Denique pueri inconstantes sunt, in horas mutantur, ut
merito desultoria levitas illis exprobrari soleat. Sic pueri
sunt, qui nondum gressum firmarunt in via Domini, sed
vacillant: qui nondum constitutum habent quam viam te-
nere debeant, sed modò huc modò illuc inclinant, semper
dubij, semper inconstantes. Hi semper discunt, sed nunquam
ad cognitionem veritatis venire possunt: 2. Tim. 3. vers. 7.
Elias Iudæos verbi divini & judiciorum ignoratos & rudes,
atque ita ad discendum ineptissimos, comparat pueris à la-
cte avulsis: *Quem, inquit, doceret scientiam, & cui proponeret*
intelligendum documentum? depulsi à lacte, avulsis ab uberibus?
q. d. Non magis valetis seniū ad percipienda documenta
judiciorum Dei, quam pueruli: seniū infantes estis. cap. 28.
vers. 9.

Nec

Nec denique Apostolos Christus vult repuerascere. Hoc
enim in contemptum ferè semper sumitur, & plerunque
de senibus dicitur, quum despere vitio ætatis incipiunt.
Inde natum illud: *Bis pueri senes reditæ ratione.* Huc tendunt il-
la Senecæ, laudatissimi inter omnes veteres scriptoris: *Quem*
animū nos adversus pueras habemus, hunc sapiens adversus omnes,
quibus etiam post juventam canosque puerilitas est. An quicquam
isti profecerunt, quibus animi mala sunt, audite in majus erro-
res, qui à pueris magnitudine tantum formæq; corporum differunt:
ceterum non minus vagi incertique voluptatem sine delectu appe-
tentes, trepidi, & non ingenio, sed formidine quieti? non ideo quo-
quam inter illos puerosque interesse quis dixerit, quod illis talo-
rum nucūque & aris minutis avaritia est; his auri argenteique & ur-
biuum: quod illi inter ipsis magistratus gerunt, & praetextum fa-
scesque ac tribunal imitantur; hi eadem in campo foroque & in cu-
ria ludunt. Illi in litoribus arenâ congestâ simulacra domum ex-
citant: hi ut magnum aliquid agentes, in lapidibus ac parietibus
& tectis moliendis occupati, ad tutelam corporum inventa, in peri-
culum vertunt. Ergo par pueris, longiusque progressis, sed in alia
majoraque error est. Libr. Quod in Sapientem non cadit in-
juria, cap. 12. Tale quid Paulus Hebræis exprobrat: *Vos*
quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est do-
ceri quæ sint elementa initij eloquiorum Dei: factique estis ij qui-
bis lacte sit opus, & non solidō cibo. Enimverò cui cum lacte res
est, is rudis est sermonis justitiae, (*infans enim est*) Sed adulorum
est solidus cibus, eorum videlicet qui propter habitum, sensus ha-
bent exercitatos ad discretionem boni ac mali. Hebr. 5. vers. 12,
13. 14.

Vult Christus discipulos suos fieri ut puerulos, id est, eis si-
miles esse in laudabilibus quibusdam atque insignibus virtu-
tibus. Ea enim est naturæ nostræ corruptio, ut quo quis est
ætate proiectior; hoc sit ingenio corruptior. Virtutes illæ
variae sunt, quas ad paucas revocabimus.

1. Præcipue & nominatim Apostolis commendat puerum humilitatem. Nam statuens in medio eorum puerulum, ait: *Quisquis summis erit sese, sicut est puerulus iste.* ver. 4. Planè ut olim David in animi submissione, similem se esse pueris à lacte recens depulsis, professus est. Psal. 131. v. 2. Pueruli non sunt superbo spiritu, nihil sibi arrogant, nullum dominatum ambiunt, utpote qui ignorant, quid sit dominatus: præ alijs se non efferunt, nec alias despiciunt. Perinde regis filiolo est, utrum cum Cæsar is an rustici filio ludat, ac in ejus familiaritate versetur. Per ætatem nondum sciunt pueruli, quod dexterum, quod sinistrum sit latius, neque de primo confessu, accubitu aut præcessione cum quoquam altercantur. Haud diffitemur, superbiam infantibus ab utero esse ingenitam, ut primam sui curam haberi velint; verùm in eorum cordibus tanta adhuc regnat simplicitas, ut honorum gradus, & quævis superbie fomenta ignorent. Quod ipsum dilucidis hinc & experientiae sustentaculo nixis verbis expressit Basilius Seleuciaæ Isauriaæ Episcopus, magni illius Chrysostomi amicus & contubernialis: *Vultis esse pueri? puerorum mores imitamini, morum simplicitatem adsumite.* Illis nulla de dignitate vox, illi primas non ambiunt, hæc agitudo non laborant, non nörunt efflorescentem parentum nobilitatem, non super divitiis elatione vanâ gloriantur, non ob patriarcharum gloriarum multitudinem. Insper consuecant cum ijs, qui unda sunt secum etate: videbis dominum simul & famulum in omnibus conversantes, videbis pauperem puerum & opulentum ignaros discriminis, ignaros diversæ educationis. Verùm manent eorum ingenia ab affectibus pura, mens impermista malitia, voluntas à versutia libera, ratio à malitia aliena, animus ad malitiam inexercitus: nondum enim per ætatem ratio fastu intumuit, nondum pecuniarum sensum ingeneravit, nondum nobilitatis flore delectari didicunt; nondum aures auitis facinoribus percussæ sunt, nondum dignitas

tatis affectibus inquinata, nondum creatis à rebus magnum quidquam esse rentur, nondum honoribus exultat natura, nondum mores honorum cupiditate capiuntur: sed ipsum naturæ nomisma remanet adulteris notis impercussum. Hæc ille Orat. 28. Puerorum vestigia Apostolos legere vult Christus, ut verè se infra alios demittant, nihil sibi quicquam coram Deo arrogant, nec fastidiole fronteque superbâ alios despiciant, vel supra alios primatum affeſtent: sed satis habeant, quod sint ex Christi membris, nihilque aliud optent, quam ut soli Caput, Christus, excellat. Hæc demum placens Deo ambitio est, hic verus primatus, veraque excellentia. Ad hanc sanctam ambitionem & φιλοτιμίαν nos exhortatur Paulus: *Precamur vos, frātres, inquit, ut potius excellatis diligendo alij alios, & ambitiosè contendatis quietē esse, & res vestras agere, absque curiositate.* 1. Thess. 4. 10. 11. Ipse Paulus piâ quâdam & laudabili ambitione contendit passim primus euangelizare. Id enim vox φιλοτιμίας propriè significat. Rom. 15. 20. Hoc potissimum studio habuit, quasi ambitione quâdam id agens, ut prædicatione Euangeli Christo adduceret eas civitates & populos, quibus nemo ante ipsum prædicarat, & quibus nomen Christi ne quidem auditum fuerat. Et de omnibus sinceris Dei cultoribus pronunciat, quod ambitione contendant, sive incolentes apud Deum in celo, sive peregre agentes ab eo extra celum, in mortali hoc corpore, ei accepti esse. 2. Cor. 5. ver. 9. Cæterum id probè observandum, humilitatem tantopere à Christo inculcatam & commendatam, non confistere in vestibus externisque gestibus animi demissionem sp̄ravitibus: quibus plerumque Monachi, Anabaptistæ, aliquæ hypocritæ magnam coram hominibus humilitatem venditant, dum interim sublimi spiritu non tantum supra homines, sed etiam supra Deum sese efferunt. Talis fuit humilitas Pharisei illius, qui quidem coram hominibus se

non extollebat, sed meram humilitatem spirabat: at cor ipsius elatum erat coram Deo, & in justitia propria confidebat. *Luc. 18. vers. 11. 12.* Atque hoc nomine Christus Pharisæos omnes perstringit, quod sibi persuaserint se justos esse, & pro nihilo reliquos habuerint. *Ibid. vers. 9.* In ipsis cordis penetralibus radicataam esse oportet humilitatem, ut quis humiliter de se sentiat, ac vere cum Davide de se affirmare possit: *Non est altus animus meus. Psal. 131. 1.* Nihil inventur, quod sit fabricatâ humilitate superbius. Contumeliae fucatae frontis obsequiis præferuntur: transit amaritudinem dulcedo simulata. Nihil deteriorius quam si humilem se putet & jactet, qui superbæ morbo laborat. Quo pacto medicinam querat, qui nihil se mali pati suspicatur? *Puerulus componit & sedat animam suam. Psal. 131. vers. 2.* Puerulus regio stemmate ortus, non tantum blandè alloquitur pueros tenuioris fortunæ, ac familiariter cum puerulis humiliobscuroque loco natis vivit & conversatur, sed neque contemptim de eis sentit, neque vel levissimam de sua supra eos excellentiam & dignitatem cogitationem suscipit. Tales suos filios & discipulos esse vult Christus. Hæc enim ejus vox est: *Discite à me quod mitis sum & humiliis corde. Matt. 11. vers. 29.* Nec aliorum vergit monitum istud Petrinum: *Submissione animi estote intus ornati. 1. Petr. 5. 5.* Quod etiam subindicit Salomon, dicens: *Depressum spiritu sustentat honor. Prov. 29. 23.* Mundi filij & depravata hominum ratio eum qui se depresserit, ab omnibus veluti pedibus protritum iri existimat. Spiritus veritatis ad honorem assequendum & firmissime retinendum, maximum esse compendium statuit, si quis demisso sit animo, humiliter de se sentiat, ac demissè se gerat. Hic enim Deum habet à suisstantem partibus. *In hunc intueor, dictum Jehovæ, in pauperem & contritum spiritu. Esai. 66. 2.* Christus eleemosynam erogantibus serio inculcat illud: *Quum das eleemosynam,*

ne

nenorverit sinistra tua quid faciat dextera tua. Matth. 6. 3. Universè id de omanibus virtutum & bonorum operum speciebus statuendum: ut quicquid à nobis rectè agitur, non solum dissimulemus, sed etiam ignoramus & obliviscamur, contenti quod Deus id noverit, & in suum commentarium retulerit, tūm ad perpetuam memoriam, tūm ut in extremo iudicio, quo homines & Angelos judicabit, nos remuneretur. Etiam levissimi affectus ambitionis & superbie, subiuste in cordibus nostris pullulantes & erumpentes, deprimenti sunt & compescendi timore Domini, cogitatione imbecillitatis ac vilitatis propriæ, & consideratione vanitatis, cui subjacent omnia, indefessoque rerum humilium studio, & cum primis imploratione divini auxilij. Exempla subiungam. Abrahamus erat centenario major; Deus eum exilio amici sui, omniumque credentium patris ornârat. *Esaï. 41. vers. 8.* Rom. 4. vers. 11. Deus fedus gratiæ cum illo pegerat & stabiliverat. *Gen. 17. 7.* conscius factus fuerat decreti Dei de Sodomæ & vicinarum urbium eversione. *Gen. 18. 20.* nemo eo major, nemo honoratior. Verum, instar pueruli quinquennis vel sexennis, se demisit, pusillusque in oculis suis fuit. Loquuntur verba ejus ad Deum: *Ecce, nunc superem alloqui Dominum, tametsi ego sim pulvis & civis. Ibid. vers. 27.* Hic cernere est in animo pij ac sancti Viri, colluctantes inter se charitatem, quæ interpellare cupit pro periclitantibus Sodomitis eorumque vicinis: & sensum propriæ humilitatis, qui ab opere charitatis & interpellandi proposito pium peccatum avocat. Suadebat, imò urgebat charitas, ut pro Sodomitis apud Dominum intercederet. Coepit hoc facere. Coepit intercessionem prosecuturo, occinebat propriæ humilitatis sensus: *Quid facit? Pulvis es & cinis, & loqui audes Domino tuo?* Uterque affectus bonus fuit in sancto Viro, quia alter alterum non impedivit. Bonus erat affectus charitatis, condolentis periclitantibus etiam malis:

malis, & apud Dominum intercedere cupientis. Hunc expressit, dicens: *Ecce, nunc cuperem alloqui Dominum.* Bonus erat, inquam, & præclarus hic affectus, quia propriæ vilitatis sensum & confessionem non abjiciebat. Rursus, bonus erat Deoque gratus propriæ vilitatis sensus, quem Abrahamus expressit, inquiens: *Ego sum pulvis & cinis:* quia propositum ac studium interpellandi apud Dominum non impediebat. Quare omnium pulcherrimè sic est humilitatem conditionis humanæ confessus Abrahamus, ut tamen propositum intercedendi apud Dominum non abjecerit. Primum enim precantis ornamentum est humilitas. Superiorem se Deus non respicit, quum talis nusquam extet: nec parem, quum neque is usquam appareat. Eos amanter complectitur, qui se sub potentiam ejus submittunt: eos erigit, qui se dejiciunt: eos magni æstimat, qui parvi sunt in oculis propriis. Eādem humilitatis virtute excelluit Jacobus Patriarcha, pīj avi Abrahāmi pīus filius. Audiens fratrem itatum Esavum sibi obviam cum copiis instructissimis adventare, mortemque minari, ad preces confugit humiles, seque indignum fassus est cui tot beneficia Deus conferret, nedum eo le dignum judicet quod petiturus esset. Suppliciter ac demissè orantem audite: *Impar sum omnibus his beneficiis, totique illi fidei quam præstitisti servo suo: etenim cum baculo meo solum transveram Iardenem istum, nunc autem in duas aries dominus effectus sum.* *Eripe me quæso è manu fratris mei, è manu Esavi: nam timeo ab ipso, ne veniens cedat me & matrem cum liberis.* Gen. 32. 10. 11. Leo animal generolum, nisi fame vehementer urgeatur, prostratis parcere dicitur, quod ingentis animi esse declarant illa verba Poëtæ:

*Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.*

Si hæc igitur placabilitas veræ nobilitatis est nota: quid illa infinita faciet majestas, ubi se homo supplex corā illa demiserit?

serit? Nimirum sic ait sublimis & elatus, cuius nomen inhabens aeternitatem, & sanctus, qui in sublimi & sancto habito: etiam cum eo qui attritus est demissusque spiritu habito, ut vivum conservem spiritum demissorum, & vivum conservem animum contritorum. Elai. 57. 19. Ista majorum suorum vestigia religiosè pressit Rex David, coelesti sapientiæ illustrissimus, gloriâ clarissimus, authoritate gravissimus, potentia valentissimus, nominis famæque celebritate florentissimus, pietatis speculum, iustitiae exemplar, temperantiae jubar, & (ut paucis multa dicam) *Vir secundum animum Ichove.* 1. Sam. 13. vers. 14. Nemo illo animo demissior, nemo in oculis propriis minor, nemo humilitate verâ puerulo propior. Clamat verba ejus, sancto juramento confirmata: *Nisi composui & sedavi animam meam, sicut ablactatus apud matrem suam facit; nisi sicut ablactatus, apud me fuit anima mea: puniat me Deus.* Psal. 131. 2. Verbis & juramento facta Davidis respondent. Animus ejus de rebus arduis & magnis non cogitabat, sublimia non affectabat, à studio regnandi erat alienus. Gregis pastorem cum ageret, sorte suâ contentus erat, curisque pastoralibus ursus, cogitationes duntaxat de peccore pascendo & defendendo suscipiebat. Confer 1. Sam. 16. 11. & cap. 17. 34. 35. 36. De Saule tollendo ne levissima quidem cogitatio animum ejus transvolabat, sed primas, quoad ille vixit, ei cedebat, quamvis saepissimè & gravissimè ab eo lœsus, in manibus suis eum haberet. Quamvis leonem, ursum, Goliathum, ac Philistæos cecidisset, animum tamen magno studio in modestia atq; submissione continebat. Cùm vulgo occineretur, *Percussit Saul millia sua, as David myriadas suas,* h. e. laude dignus est Saul, sed decuplo majore David; 1. Sam. 18. 6. applausum illum populi, unde Saul spiritum invidiæ concepit, deprimere ac compescere non potuit; animum verò suum, ne inde reddeatur elatus, fortiter depresso, & in studio modestiæ continuit,

nuit, semper ingeminans illud: *Non nobis, Iehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benigitatem tuam, propter veritatem tuam.* Psal. 115. 1. Imò quoad in throno regio sedet, nonquam oblitus fuit, se ex caulis ovium extractum fuisse, sed identidem repetit illud: *Quis sum ego, Domine Iehovi, & quae est familia mea, quod deducis me eousque?* 2. Sam. 7. v. 18. Centurio Capernaumicus, Christo adventum offerenti & pollicenti, animo submississimo respondet: *Domine, non sum dignus ut sub tectum meum ingrediari.* Matth. 8. 8. Exemplum raræ in militum ducibus modestiæ & humilitatis. Solent enim his vires corporis, res secundæ, authoritasque & quidvis audendi effrænis licentia superbos tumidosque spiritus afferre. At Centurio hic fide prædictus fuit, cuius hoc est ingenium, ut quo altius nos in Dei & bonitatis divinæ contemplationem evehit, eo magis nos humiliet, dum simul in nostra vitiositatis & indignitatis cognitionem nos introducit. Uti enim qui Solem intuentur, quod intentiùs hoc faciunt, eo magis visus atque oculorum suorum imbecillitatem experiuntur: Ita quo propius Centurio Deum Filium que ejus intuebatur, eo magis suæ imperfectionis & indignitatis lens percallebatur; humiliisque de seipso sentiebat, ac ad Christi, se suaque bona ipsi offerentis, facilitatem obstupefcebat. Puerulus quoque in oculis suis fuit Apostolus Petrus, discipulorum Christi coryphæus, cæteros ætate, & zelo anteiens. Videbat Christum triplici miraculo apud lacum Genezaret gloriam suam illustrantem. Ipsa piscium copiosa captura ingens erat miraculum. Nec minus mirabile, quod rete, quamvis ruptum, pisces tamen continuerit. Accedebat tertium, quod naves, plus nimio onustæ, submersæ non fuerint. Luc. 5. v. 6. 7. Petrus, reverentia diuinæ Christi majestatis, & conscientia indignitatis & peccatorum suorum tactus atque perculsus, suppliciter ad genua Jesu accidens, dixit: *Discede à me: nam homo peccator sum,*
Domine.

Domine. Ibid. vers. 8. Fuit Paulus Apostolorum ultimus simul & primus, magna fuit mundi & Euangeli tuba, indefessus veritatis præco, & Gentium in fide magister: in tertium cœlum seu paradisum raptus, audivit ineffabilia verba, quæ non liceat homini loqui. 2. Cor. 12. v. 4. amplius quam reliqui omnes Apostoli laboravit. 1. Cor. 15. 10. Quis verò illo demissior animo? quis humilius de se sensit? *Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus,* propterea quod persequutus sum Ecclesiam Dei. Nihil sibi, sed omnia in solidum divinæ gratiæ adscripsit; *Gratia Dei, ait, sum quod sum:* & gratiae ejus quæ in me collata est, non fuit inanis, sed amplius quam illi omnes laboravi: non ego tamen, sed gratia Dei quæ tecum est. Ibid. vers. 9. & 10. *Ærumnosum se hominem,* Rom. 7. 24. imò peccatorum primum agnovit. 1. Tim. 1. 15. Nullum contempsit, non tantum superiores Apostolos, sed ne discipulos quidem, Timotheum, Titum. Totus mundus ipsi fuit crucifixus, & ipse mundo. Gal. 6. 14. Sic ergo etiam summi viri inter puerulos sedere, nec donis suis efferreri discant. Et cur, quæso, propter dona efferreraur, quæ non nostra, sed Dei sunt, & ab eodem quovis momento repeti possunt? Cur quoque proximum propterea contemneremus, quum eo plus ipsi debeamus, quo plus à Deo accepimus? Verè humilium est magna, & multa facere; & humiliter de se sentire atque loqui: quemadmodum aristæ capita demittentes, granis onustæ sunt, & dolia plena non resonant: contrà quam aristæ & dolia vacua. Prout Sol suum in nos aspectum dirigit, ita brevior est umbra nostrorum corporum, ut meridie & sub id tempus videre est: Ita ostentationem & fastum eo magis pij refugiunt, quo pluribus virtutibus abundant. Viceversa, Solis recessus indicium est, quum umbras longiores sint: Ita signum est virtutis decrescentis, quum arrogancia crescit.

2. Pueruli toti à parentibus suis pendent, sine quorum

ope nec vivere nec educari possunt, quum sint nudi, egentes cibi & potus, foribus polluti, nec propter virium imbecillitatem ipsi se gubernare & tueri queant. Fame sitive stimulati, cibum potumque à parentibus postulant. Ab aliis sibi metuentes, ad parentes configunt. Si torvum quis ipsos aspiciat, querelas in parentum sinum effundunt. Filiolus Schunammitidis acerrimis capititis doloribus correptus, patri suo dixit: *Caput meum, caput meum.* 2. Reg. 4. 19. Nec mirum. Nam omnes ferè parentes plus amant filios, quam seipso. Deum ipsum testem in hanc rem cito: *An, inquit. oblivisci potest mulier fætus sui, ut non misereatur filii uteri sui?* Esai. 49. 15. Josephum unum ex filiis amissum multos annos luxit Jacobus Patriarcha, nec prius diuturnum luctum abstersit, quam ex insperato repertus est: cujus videndi desiderio & studio patriam & domesticos lares reliquit, migravitque cum tota domo in Ægyptum, centum viginti annos & amplius natus. Hagara cum filio Ismaële per desertum vagans, eumque siti enectum iri metuens, materno affectu commota, puerum sub unam arborum abjecit, ne Solis ardore conficeretur, sed quietus vitam in umbra finiret; abiensque subedit è regione, procul abscedendo ut qui jaculantur arcu: dicebat enim, ne videam quum morietur puer: *subsidensque è regione, voce sublatâ flebat.* Genes. 21. 14. &c. Ipsa Hecuba apud Euripidem rogans Ulyssem, ne filiam Polyxenam à se ad necem abstraheret, subjicit: *In hac me oblecto, & oblivisor marorum: hæc pro multis est mihi solarium: civitas, nutrix, scipio, dux viae.* Et Medea apud eumdem Euripidem ait: *Meorum filiorum exilium vitæ utique permutarem, non auro tantum.* Ita pii, scientes se naturâ esse ærumnosos, & miserabiles, & pauperes, & cœcos, & nudos; Apoc. 3. 17. à solo Deo, coelesti suo Patre, pendebat, huic firmiter adhærent, in clientelam ejus se unicè commendant, ac ab eo vitam, victum, defensionem, salutem, & consolationem in ærumnis exspectant. Sine eo ne momento.

momento quidem subsistere possunt. Solus Deus paternam maternamque curam ipsorum agit, ipsosque recipit alendos, fovendos, tuendos, confirmandos & ornandos, si tanquam pueruli in ejus sinum le totos conjiciant, ejusque amori ac studio se regendos committant. Ita suæ sibi imbecillitatis conscius David, instar pueruli, firmâ cordis fiduciâ, ad coelestem suum patrem configuit, atque ab ejus auxilio & præsidio peperit: *Inclina, Iehova, aurem tuam, Exaudi me: nam pauper & egens sum. Serva animam meam. nam is sum quem benignitate prosequeris: serva tuum servum, tu Deus mi, fiduciam habentem in te.* Psl. 86. 1. 2. Josaphatus, Rex Jehudæ, à Moabitis, Ammonitis, & Syris bello laceitus & tentatus, sibique & copiis ac viribus suis diffidens, Patri suo omnipotenti supplicat: *Deus noster, annon judicia exerciturus es in eos: nam non est in nobis vis obfustandi multititudini magna isti invadenti nos: & nos nescimus quid facturi simus, sed in te defixi sunt oculi nostri.* 2. Chron. 20. 12. Coelestis Pater nos puerulos cognitione, lastis potu alit, h. e. principiis & rudimentis doctrinæ Christianæ simplicissimè traditis imbuit. 1. Cor. 3. 2. Cibum solidum, seu doctrinam perfectiorem, præbet adultis, qui amplius pueruli circa res fidei non sunt, sed solidum appetunt, & bene digerunt cibum, h. e. laudabiles in sermone justitiae progressus fecerunt, quique habitum quandam cognitionis doctrinæ crebrâ lectione, auditione, & meditatione sacræ Scripturæ sibi comparaverunt. Hebr. 5. 14. Quid? quod Dei amor & cura, parentum terrenorum amorem & curam longissimè superat. Fieri enim potest, ut h. naturalis φοργὴ erga liberos suos obliiscantur, eosque oderint. Athalia, avia crudelissima, omnes suos nepotes ex Achazia filio interfecit, ut stirpem Davidis penitus tolleret, excepto & erepto solo Joascho anniculo. 2. Reg. 11. v. 1. In obsidione Samariae matres coixerunt filium, & comedederunt eum. 2. Reg. 6. 29. In primo excidio Hierosolymitano,

manus mulierum misericordium coixerunt natos ipsarum; fuerunt alimento ipsis in contritione filiae populi Dei. Thren. 4. 10. In postrema obsidione Hierosolymorum nobilis quædam matrona, Maria, proprium filium assatum præ fame comedit. Joseph. de bello Judaico. Verum Deus nunquam nostri obliviscitur. Ipsum de perpetuitate paternæ solicitudinis, dilectionis, & benevolentiae suæ differentem audite: *Quod si dicat Tzÿon, Derelinquit me Iehova; & Dominus oblitus est mei: An oblivisci potest mulier fetus sui, ut non misereatur filii uteri sui? etiam hæc oblivisci possint; tamen ego non obliviscar tui.* Esai. 49. 14. 15. Rursus: *An filius charus mihi est Ephraim? an natus summe oblationis?* est. nam ex quo locutus sum contra eum, omnino recordor ejus adhuc: *idecirco perstrepunt viscera mea propter eum, omnino miserebor ejus, dictum Iehovæ.* Ierem. 31. 20. Haud ignotum id Davidi, qui longi temporis experientia edoctus, ait: *Quamvis pater meus & mater mea derelinquerent me; tamen Iehova recipiet me.* Psal. 27. 10. Nullum, ipso Sophocle teste, atrocius est vulnus, quam defectio amici. Huic ingenti dolori, quem desertio conjunctissimorum, præsertim parentum, parit, David opponit paternam, eamque perpetuam, cœlestis Patris benevolentiam & curam: qui vult, novit, & potest opitulari, cum non modò à parentibus atque amicis, sed etiam ab omnibus creaturis deserti sumus. Hoc ipsis David alibi sic exprimit: *Tibi, ô Deus, derelinquit se defectus viribus: ad pupillum quod attinet, tu es ei adjutor.* q.d. Tu non destituis afflitos, qui deserti à causis secundis te invocant. Psal. 10. 14. Item: *Eripiet egentem vociferantem: & afflictum, cui non fuerit adjutor.* Psal. 72. 12. Immotum & inconcussum stat paternum illud Dei promissum: *Nequaquam te omittam, neque unquam te deseram.* Hebr. 13. 5. Neque fallit effatum Davidum: *Vt miseretur pater filiorum, sic miseretur Iehova timentium ipsum.* Psal. 103. 13. Eredit planè & stabilit illa quod extat Christi: *Si vos, qui mali etsis, noſtis bona dare liberis vestris;*

ſtris; quanto magis Pater ille vester, qui est in cælis, dabit bona iis qui petierint ab ipso? Matth. 7. 11.

3. Pueruli de nulla re solliciti, nullisque curis distracti, animo sunt composito, sedato atque tranquillo. Volvant reliqui omnia furtum deorsum in ædibus, circumcurritent inquieti, pueruli quieti sunt. Ita filii Dei in humilitate animique modestiæ quietem suam & tranquillitatem sitam habent, eamque majoris aestimant, quam omnes hujus mundi honores. Quantum verò bonum quies & tranquillitas animi? Stabilis animi sedes est; magnum & summum bonum est, Deoque vicinum, non concuti. Et, Salomone judice, *melior est buccæ cibi siccæ, quicum est tranquillitas; quam domus plena madatis animalibus, in qua sit contentio.* Prov. 17. v. 1. Artificium singulare (fas sit paulisper à proposito digredi) Salomon, sancti Spiritus instinctu, nobis proponit, quomodo mensam nostram semper abundè lauteque instructam reddamus, vel tum, cum atro pane, & salpâ seu acetariis vitam parcè ac duriter sufficiamus: quomodo etiam patrimonium, utcunque angustum, augustum faciamus. Nam ut diæta & viæ ratio salubris sit, quatuor isthæc requiruntur: 1. ut adsit Dei timor, qui optimum cibi potusque est condimentum. 2. ut justè sint acquisita alimenta. 3. ut cum proximi dilectione iis utamur. 4. ut quieto & tranquillo animo illis perfruamur. Quod si quatuor haec virtutes, tanquam convivæ, & quidem convivarum justum ferculum, seu bellaria adsint, mensa illa, etiam si non modò tenuis & parca, sed etiam incompta & subrustica sit, est tamen Dionysianis dapibus, & exquisitis epulis longè anteponenda. Quæ diætæ, eadem possessionis atque patrimonii ratio. Huic enim si virtutes istæ adsint, quamvis tenue sit patrimonium & vetigal, & perangusta possessio, præstabilior tamen est amplissimis facultatibus atque latifundiis. Ad propositum redeo, ac puerilem humilitatem quietis atque tranquillitatis animi

animi radicem esse; Christo authore, probo. Ait Is: *Discite à me quod mitis sim & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11. 29. O salutarem & laudabilem ambitionem, si quis *ambitiosè contendat quietus esse, & res suas agere!* 1. Thess. 4. 11. Contrà superbiæ vitium inquietudini est obnoxium, animisque magnam perturbationem affert. Exempla loquuntur. David regno pulsus quievit, Deoque totum negotium commisit, nec ullis se factionibus miscuit. Recta in exilium pergens, Tzadoko Sacerdoti, cum Arca Dei se conitatuero, edixit animo sedato, & in sapientissimâ atque justissimâ Dei voluntate acquiescente: *Reduc Arcam Dei in civitatem: si invenero gratiam in oculis Iehovæ, utique reducet me, & faciet ut revisam se & habitaculum suum.* Quod si ita dixerit, non delector te, ecce me, faciat mihi prout bonum videatur in oculis suis. 2. Sam. 15. 25. 26. Quæ mirandæ hujus animi tranquillitatis, & (ut ita dicam) acquiescentiæ causa? Verbo dicam: humili erat. Humilitatis suæ testem certissimum, locupletissimum & integerrimum, Deum ipsum citare haud veretur: *O Iehova, inquit, non superbit cor meum, nec efferuntur oculi mei: nec ambulo in rebus magnis, & mirabilioribus quam ut ego eas assequar.* Nisi compoui & sedavi animam meam, sicut ablatatus apud matrem suam facit; nisi sicut ablatatus, apud me fuit anima mea: puniat me Deus. Psal. 131. 1. 2. Contrà Absolomus & Saul animo erant inquieto, sursum deorsum cuncta simul confundebant, coelum, quod vulgo dicitur, terræ miscebant, omnemque lapidem movebant, tantum ut Davidem innocentem, cuius hic sofer, ille filius, opprimerent. Ne mirator. Superbiæ & ambitionis cestro erant perciti. Quæ in Caino, primi omnium nostrum parentis filio, causa tanti odii & invidiæ in fratrem Abelem, tantæque inquietis, & atrocissimi fratricidii? Quæ, inquam, nisi prætumida arrogantia & indomita superbia? Nec alia de causâ Esavus odio exarsit in fratrem Jacobum, tantasque parentibus

pàrentibus molestias & solicitudines creavit. Ecce tantas turbas moverunt, plebem concitârunt, atque in Mosem & Aharonem insurrexerunt Core, Dathan & Abiram? In superbia hoc fecerunt. Cur Alexander Magnus igni & ferro Asiam omnem populatus est? Cur Cyrus ante Ioniam devastavit? Cur Lacedæmonii cum Atheniensibus & Thebanis; Athenienses verò cum Megarensibus atque Corinthiis perpetuas inimicitias & bella gesserunt? Cur Carthaginenses in Romanos, Romani verò in omnes nationes, & his subjugatis, in seipso & patriam manus intulerunt, in suos cives proscriptiōibus ita sanguinantes, ut vel sola narratio tantæ crudelitatis, literarum monumentis proditæ, lectores & auditores horrore afficiat? Nam liberi cædem parentum mercabantur, uxores maritorum: fratres carnificibus suos germanos, servi dominos jugulandos tradebant. Inimicitias istas & cædes peperit superbia. Quicunq; ergo tranquillo sedatoque animo esse discipiunt, nec ipsi se molestiâ afficer; humilitatem colunto.

4. Pueruli in parentibus suis unicè lætantur: fleant, lamententur, egeant, tristentur, offendantur; dummodo presentes sint parentes, salva sunt omnia, & malorum omnium obliviscuntur: parentibus verò absentibus, lacrymis se & tristitiae dedunt, nihilque res pretiosissimas faciunt. Ita pii ex Dei præsentia solido gaudio complentur, quâcunque etiam forte frauantur. David proposito hoc animum suum muniverat: *Ad me quod attinet, lætabor in Iehova.* Psal. 104. 34. A quo non abeunt illa ejusdem: *Indideras lætitiam cordi meo majorem, quam est eo tempore, quo frumentum iſtorum & mustum eorum aucta sunt.* Psal. 4. 8. Utique majorem! Nihil enim momenti lætitia illa habet, quam copia frumenti & multi gignit, comparata ad illam lætitiam, quæ ex Dei oriente gratiâ & favore. Qui frumento & vino abundat, multis variisque etiam curis angitur atque distrahitur. Deo qui gaudet

gaudet propitio, curarum omnium liber est atque immunis. Vinum effundi, frumentum vitiari potest: ut lætitia illa vi- naria & frumentaria in tristitiam abeat. Gaudium è Deo constans est & perpetuum. Disertè Christus, gaudii istius fons & author. *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum ne- mo tollat à vobis.* Joan. 16. 22. Ac si maximè frumentum, vinum, ac reliquæ terrenæ facultates, lætitiae aliquid affe- rent; in morte tamen illa evanescit. At lætus atque gratio- sus Dei vultus lumen est in vita ac in morte. Inde natum sanctum illud Davidis votum: *O Iehova, fac ut luceat erga nos facies tua: tunc servabimur.* Psal. 80. 20. Terrenum gau- dium appositiè assimilatur lumini ignis fatui, quod nocte intempestâ haud diu durat, sed mox perit atq; extinguitur. & qui fallax illud lumen sequuntur, in præcipitia & foveas à recta via abducuntur. Contrà lætitia in Deo est instar lu- minis Solis exorientis sub auroram, quod semper augescit, clariusque lucet, ac hominem recreat, & multa ei commo- da præstat. Feriat ergo aures animi corporisque nostri mo- nitum Apostolicum: *Gaudete in Domino semper: rursum in- quam, gaudete.* Philip. 4. 4. Recogitemus nobiscum conditi- onem regni Christi, cuius nos cives profitemur: *Non est re- gnum Dei esca & potus, sed justitia, & pax, & gaudium per Spi- ritum sanctum,* Paulo teste Rom. 14. 17. Extra Deum nul- lum solidum & constans gaudium invenitur. Ille solus est spes desperantium, consolatio moestorum, salus damnato- rum, vita mortuorum, veritas errantium, lux in tenebris se- dentium, adjutor oppressorum, sustentator tentatorum, li- berator persecutionem patientium, pater & mater deferto- rum, omnia denique in omnibus. Porro non rebus dun- taxat ad votum fluentibus in Deo nos lætari oportet: sed tentationes quoque & calamitates læto animo excipiendæ sunt & tolerandæ. Expressè Servator: *Beati eritis quum vos conviciis afficerint, & persecuti fuerint, & mentientes dixerint quid-*

quidvis mali adversus vos, propter me. Gaudete & exultate: quo- niam merces vestra multa est in cœlis. Matth. 5. 11. 12. Haud ignarum id Iacobo Apostolo: *Summo, inquit, gaudio ducite, fratres mei, quoties in tentationes varias incideritis.* cap. 1. 2. A quo non abludit istud Petri: *In eo quod consortes estis affi- ctionum Christi, gaudete: ut & quum revelabitur gloria ipsius, gau- deatis exultantes.* 1. Petr. 4. 13. Praxin nos docent Apo- stoli, qui virginis cæsi, gaudentes profecti sunt à confitu Conci- lij, quod digni habiti essent, qui pro nomine Iesu contumeliam affice- rentur. Act. 5. 41. Speciatim de se Paulus: *Vehementer super- abundo gaudio in omni afflictione nostra.* 2. Cor. 7. 4. Rursus: *Quinetiam si pro libamento offerar super sacrificio & ministerio fi- dei vestre, gaudeo & gratulor omnibus vobis.* Itidem autem & vos gaudete, & gratulamini mihi. Philip. 2. 17. 18. Ac ne quis gaudium ex afflictionibus conceptum stultitiae atque teme- ritatis insimulet, Paulum rursus adeat atque audiat, crucem non præsentis acerbitatis sensu, sed fructu subsecuturo me- tientem: *Omnis castigatio in præsens quidem non videtur esse gaudijs, sed tristitia: at postea fructum tranquillum iustitia reddit uis qui per eam fuerint exercitati.* Hebr. 12. 11. Hic illud obti- net: *Radices amaræ, fructus dulces.* Mercator spe lucri, ter- râ marique pericula adit: Athleta gloriolæ cupiditate nul- los labores refutit: Eger valetudinis recuperandæ deside- rio, amarissima bibere pharmaca non detrectat. Quidni ex- go nos alaci lætoque animo calicem illum crucis à coelesti Patre nobis propinatum acceptemus, præsentemque ama- rorem secuturâ fructus dulcedine consolemur? *Fructus no- bis propositus est, & is quidem tranquillus:* nempe pax con- scientiae, quam emendati per crucem sentiunt: lætitia in Deo acquiescens: ipsa denique vitæ æternæ beatitas.

5. Pueruli paucis sunt contenti, lacte, pomo, pyro, pul- te, frusto casei, pane butyro illito, nec plura fercula, lautas- que & sumptuosas dapes expertunt. Filii Dei lorte suâ con-

tenti vivunt. Pauperari non potest, quisquis secundum naturam vivit. Quantulum enim naturae satis est? paulum panis & aquæ, pyrum, pomum, allium, fractum lardi, racemus, pauxillumque orizæ, fabarum, & piforum &c. Quis unquam naturae sustentandæ causâ prædium vendere, aut pecuniam fænore accipere coactus est? M. Curius quum ex decreto Senatus agros in populum distribueret, querentibus quibusdam de parva portione sibi tributa, *Nolite, amici,* (inquit leniter, ut erat lenissimus) *existimare ei parum esse cui satis sit.* Idem devictis Sabinis quum ex Senatus consulo ei ampliarerur agri modius, quem consummati milites accipere solent, recusavit, & gregalium portione contentus fuit, dicens; *Esse malum civem, cui non esset satis id quod ceteris esset satis.* Erasm. lib. 6. Apophth. Eidem M. Curio foco assidenti, & napos in coenam apparanti, Samnites, contra quos hoc Imperatore Romani bellum gerebant, ejus virtutis, quam saepe jam experti reformidabant, corruptendæ causâ, magnum auri pondus miserunt. Qui ridens & catinum legatis ostendens: *Quisquis tali, inquit, vana contentus est, ei tantis non opus est divitiis.* Plutarch in Apophth. Chilonis Lacedæmonij, cuius fama & gloria tanta erat, ut defuncti exequias universa Græcia parentans prosequeretur, tres sententiæ ex iis, quas multas & præclaras protulit, quasi oracula exceptæ, & in templo Delphico Apollini consecratæ, aureis lireris inscriptæ sunt. Prima, *Nullius rei præstantiorem esse cognitionem, quam sui ipsius.* Altera, *Finem omnium contentionum & dissidorum esse miseriam.* Tertia, *Nihil nimis concupiscendum, & unumquemque eo contentum esse debere quod sati fit: hoc autem parvo constare, si naturæ mensura, non cupiditatibus nostris, quæ sunt infinitæ ac insatiabiles, metiamur.* Hæ nihil unquam tantum accipiunt, ut satis dicant: illa nihil tantum, quo non plenè sibi satisfactum agnoscat, Theodorus Beza in ore solitus est habere illud:

Exiguæ

*Exiguæ didicit contentus vivere, quisquis
Cælestes toto peccore spirat opes.*

Haud ignarus gnomæ illius, quam Cominæus Vir ~~militum~~ libr. 10. de bell. Gallic. reliquit: *Nihil præstabilius est mediocri vita genere, quod qui potest assequi & tueri, is omnium est felicissimus.* Nec alterius opinacionis David est: *Melius, ait, est parum justi, quam copia improborum multorum.* Psal. 37. 36. Paradoxon hoc homini carnali videtur. Certè Epulo immisericors, & Nabal inhumanus non credunt. David, ex schola Spiritus sancti politus, trutinâ veritatis rem examinans, verè ita pronunciat. Circumiens ad lustrandas cellas, granaria, & cistæ divitum, ibique affluentiam & confidemtiam impiorum videns; ait, his malè esse. Contrà lustrans pauperum piorum penaria, & paululum ibi inveniens panis & olei, dicit, his bene esse. Fluxa enim sunt bona impiorum: pii Dei brachio, seu benedictione nituntur, & pauxillo se oblectant. *Agnoscit Iehova tempora integrorum: itaque possessio eorum in seculum duratura est.* Non erubescunt tempore mala: sed in diebus famis saturabuntur. Ibid. vers. 18. 19. Pauxillum pium satiat: affluentia impium minimè. Conspicua in hanc rem sunt verba Lutheri enarrantis cap. 26. Genes. 2. part. 3. fol. 43. a. quæ adscribam: *Qui pius est, contentus sit modo, eoque fruatur, & latetur cum conjugi & liberis, ac abstineat ab injusto lucro.* Idem docent omnium gentium historia & libri: *Satus esse multo, ut uno aut altero aureo honestè parto vidites, quam multis millibus cum injuria aliorum, turpiter acquisitis.* Et audi vi ego historiam admodum memorabilem, de cive quodam honesto & bono, qui cum in desponsatione filiæ additurus esset dotem, dixit ad generum: *En babes triginta aureos, quos ego piè ac honestè acquisivi sine ullius injuria aut fraude.* Hanc dotem ego accepissim: pro triginta millibus aureorum. Deus enim benedit recte partis, ita ut unus obolus plus conferat, quam aureus raptoris aut usura-

N. 3.

ry.

rij. Hæc ille. Evidem furor est & ultimus mentium error, cùm tam exiguum capiant homines, cupere multum. Socrates quærenti quis ditissimus esset; paucissimus contentus, respondit. Virtus enim suis rebus contenta, naturæ opulentia est. Stob. Serm. 5. Nostræ ergo partes sunt, parere monito Apostolico: *Sint mores vestri alieni ab avaritia: estote contenti presentibus*, Hebr. 13. 5. Id verò ut eâ, quâ par est, a lacritate à nobis fiat, rationes pondere gravissimas expendamus, quibus *avaregreias* studium Paulus commendat: *Est, inquit, quæstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento. Nihil enim intulimus in mundum, videlicet nec efferre quicquam possumus. Sed habentes alimena, & quibus tegamur, hæc nobis sati erunt.* 1. Tim. 6. 6. 7. 8. Ipsi Philosophi, solâ naturæ luce colluстрati, solum sapientem, divitem statuerunt, eò quod nihil concupiscat. Nam qui adhuc concupiscit, nondum satis habet: qui verò satis non habet, revera dives non est. Multa autem conquisivit, magnosque thesauros congeffit, qui pietatem obtinuit, suâque forte contentus est. Gorges est inexplibilis nostra cupiditas, nisi coérceatur: hoc optimum frænum, si nihil plus appetamus, quâ vitæ hujus necessitas postulat. Nam ideo fines transfilimus, quia ad mille vitas, quas falsâ imaginatione concipimus, folicitudo nostra se extendit. Nihil est magis vulgare, nihil etiam magis confessum hâc Pauli sententiâ, quod *nihil in mundum intulerimus, nec efferre quidquam possimus*. Verum simulatque omnes confessi fuerint, quod etiam oculis quotidie cernitur, unusquisque votis immensa latifundia non secus absorbet, quâ si alcum haberet dimidii mundi capacem. Atque hoc est quod Vates Regius ait: *Hac via istorum expectatio est eis*. h. e. divites isti impii in stultis illis cogitationibus suis spem suam collocant. Et posteri eorum os eorum approbant. Psal. 49: 14. Ergo ut constet nobis sufficientia, discamus a nimis ita compositum habere, ne plus appetamus, quâ quod

quod ad tolerandam vitam necessarium est. Atque ideo Christus suos affeclas assimilat non lupis rapacibus, canibus voracibus, & suibus insatiabilibus; sed *ovibus*, quæ paucis contentæ sunt, & ea quæ equi & boves proculcârunt, depascunt. Ioan. 10. Non grandes & luculentæ divitiæ, non domus domibus conjunctæ, non agri agris adhibiti, vitam sustentant & prorogant: sed solus Deus vitæ author est atque conservator. Expressè & signatè Servator: *Videte & ovate ab avaritia. nec enim cujusquam vita ex iis quæ ip si suppetunt, in eo sita est ut redundet.* Luc. 12. 25. Nec aliter Salomon: *Benedictio Iehovæ ipsa ditat, neque addit molestiam secum.* Prov. 10. 22. Duo hisce verbis Propheta Regius docet sci- tu summè necessaria. Primo, Dei benedictione opes melius parari, conservari, & ad omnes usus, ad quos adhibentur, efficaciores reddi: ut parum, Deo benedicente, pluribus satisfacturum sit, quâ multum remotâ Dei benedictione. Inde Dei benedictio, *scipio panis* nuncupatur. Levit. 26. 26. Nam sine eâ non magis nutrit panis, quâ senex, baculo privatus, incedere potest. *Benedicit Deus*, quando beneficit, quod sit, tûm quando suam exerit & indit creaturis suis vim nutriendi & confirmandi corpora nostra, efficitque ut hanc vim à se inditam exerceant & exerant: tûm quando vim illam conservat, ne intereat, tuendo eam, multiplicando, augendo & propagando: tûm deniq; quando gratiam singularem largitur, quâ usus & fruitio bonorum cedit ad i- sius gloriam & animalium nostrarum salutem. Quod illud pertinet Apostoli: *Quicquid condidit Deus, bonum est: nec quicquam rejiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur.* Sanctificatur enim per Verbum Dei & preces. 1. Tim. 4. 4. 5. Deinde Salomon indicat, Dei benedictione non ita homines fatigare aut cruciare, uti avaros insatiabilis plura habendi cupiditas. Deus enim suâ benedictione piis quasi somniantibus, & eâ de re parum cogitantibus, bona suppeditat, & suppeditata sine anxietate:

anxietate conservat. Adeò ut h̄ic locum inveniat effatum Davidicum: *Frustra est vobis summo dileculo surgere, tardè sedere, vesci cibo dolorum: nam certè dat Iehova dilectis suis suum, h. e. quietem seu tranquillitatem animi, quā acquisit homo in paterna Dei cura & providentia, ac proinde non nimis in acquirendo victu solitus est.* Psal. 127. 2. Il. lustre atque laudabile *avraqeias* exemplum fuit Elias Prophetæ, qui panem & aquam, farinamque & oleum modicum non fastidivit, sed iis contentus, lautiores epulas non requisiuit. Joannis Baptistæ *alimentum erant locustæ & mel agreste.* Matth. 3. 4. Paulus de se: *Ego, inquit, didici in quibus sum, iis ipsis contentus esse. Novi deprimi, novi etiam abundare: ubique & in omnibus initiatus sum, & ad saturitatem & ad esuritatem, id est, tum ad exundantiam, tum ad penuriam: omnia vallo per eum qui me corroborat, nempe Christum.* Philip. 4. 11. 12. 13.

6. Pueruli simplices sunt & sinceri, neque ita versuti, dolosi, & fraudulenti ut senes: unde *infantia innocens, & innocentia regula* appellatur: uti res iis proponuntur, ita eas capiunt: si quid parentes ipsis promittunt, mox fidem adhibent, illudque se obtenturos persuasissimum habent. Egregie non-nemo: *Quenam sunt infantis opera? Infans si verbetur, plorat. Risus agnoscit arridentes sibi; affectus contumeliam, non irascitur, laudibus non extollitur. Si loco ejus alium venerat, non dolet. Si res illi suas eripias, non turbatur. Si paucis in rebus haeres fuerit institutus, minimè curat. Neminem vocat in judicium. Pro fortunis suis non contendit. Neminem odit. Si pauper est, non maret; si dives, non superbit. Si mulierem videt, non concupiscit: nulla illi neque libido neque solicitude dominatur. Neminem judicat, nemini imperat, invidet nemini: in ijs que nescit, se se non jactat. Proximi formam aut habitum non deridet: non exercet ullo cum homine inimicitias: non simulat: non querit mundi dignitates: cumulandis divitias non incumbit: non diligit avaritiam: non est pertinax, non ligitus, non in docendo ambitiosus*

*ambitiosus. Si exuatur, non est solitus, non tristatur: propriam non defendit voluntatem: famem non metuit: maleficos & facinorosos homines non timet: serpentes & feras non intimidat. Si bellum ingriuat, non perhorrescit. Sic simplicitas atque sinceritas omnium piorum pulcherrimum est insigne ac ornamentum. David ait: *Integritas & redditudo custodian me.* Psal. 25. 21. Istae simplicitas se exerit in fide & in vita. *In fide;* quando divinis promissis animo simplici & sincero credunt, absque hæsitatione & contradictione. Ita de se David: *Tibi dicit cor meum, Dixisti, Requirite faciem meam: faciem tuam, Iehova, requireo.* Psal. 27. 8. Perinde est atque si dicat pium pectus: *Cum tu, Pater coelestis, me tuum jubeas auxilium implorare: ego puerulus credulus & filius tuus, fretus blandâ tuâ invitatione, qui alioquin temerè ad te irrumpere non audebam, ad te venio, te invoco, te colo, certus gratiosæ exauditionis. Nec mirum. Norat enim veritatem illius: Custodit simplices Iehova.* Psal. 116. 6. Promiserat Abrahamo Deus: *Ecce fedus meum tecum quod pater futurus es multitudinis gentium.* Gen. 17. 4. Et clarius atque explicatiūs: *Certè revertar ad te quum vigebit hoc ipsum tempus, ecce autem filius erit Saræ uxori tue.* Ibid. cap. 18. v. 10. Abrahamus, quā erat simplicitate & sinceritate, contra spem sub spe creditit, fore ut ipse fieret *Pater multarum gentium, secundum id quod ei dictum fuerat.* Ita erit semen tuum. *Ac minimè infirmus fide non consideravit suum ipsius corpus jam emortuum, quum centum circiter natus esset annos, nec emortuum uterum Saræ.* Ad hanc promissionem autem Dei non addubitavit incredulitate: sed corroboratus fuit fide, tributâ gloria Deo: ac plenè persuasum habens, eum quod promiserat, posse etiam efficere. Rom. 4. 18. — 21. Ita & nos cor purum & simplex, omnisque dolii & hypocriseωs expers, coelesti Patri offeramus, neque à fide promissorum ejus ullâ nos rario ne dimoveri patiamur, certi Deum mentiri nescium esse. Tit. 1. v. 2. Rem dixit Paulus cum diceret: *Quotquot sunt promissiones**

missiones Dei, in Christo Iesu sunt Etiam, & in ipso sunt Amen, ad Dei gloriam. 2. Cor. 1. 20. Adhæc in vita & moribus simplicitas exerere se debet. *Quod enim verum, simplex sincerumque, id naturæ hominis aptissimum,* Cicerone teste libr. 1. Officior. Simplices autem & aperti, eodem Cicerone defini-
tore, *sunt qui nihil ex occulto, nihil ex infidylis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.* Ibid. Hanc virtutem maxi-
mopere Christus commendat, dicens: *Estote simplices ut columbae.* Matth. 10. 16. Columba avis est non modò iner-
mis, verùm etiam sine bile, & minimè iracunda. Itaque læ-
sa non excandescit, pullis suis orbata eundem nidum repe-
tit, neque aliud se tuendi medium novit, quām pernicita-
tem alarum, quā milvos quoque & accipitres eludit, ut e-
am affequi non possint. Quòd si quid accidat gravius &
cum dolore conjunctum, neque rostrum neque unguis ad
pugnam acuit, non etiam horrendum vociferatur, sed cum
placido tristique gemitu patienter fert, quod vitare non
potest. Ideò in sacra Scriptura Spiritus sancti typus est,
qui & ipse mansuetudinis Spiritus est, & corporeâ specie,
tanquam columba, supra Christum descendit. Luc. 3. vers. 22.
Hanc volucrem imitari decet Dei filios, ut nihil ex vindi-
ctæ cupiditate agant, nemini nocere, omnibus autem pro-
desse studeant, denique absque dolo omnia faciant, ut in i-
piss pia & innocua simplicitas conspiciantur, quæ testetur,
quoniam Spiritu ducantur. Horum vergit monitus illud
Paulinum: *Omnia facite absque murmuratio[n]ibus ac disceptati-
onibus: ut sitis inculpati & simplices, Dei inquam filij inculpati in
medio gentis prave ac perverse: inter quos homines splendetis ut
faces in mundo.* Philip. 2. 14, 15. Hoc nomine Christus com-
mendat Nathanaelem venientem ad se: *Ecce verè Israelita
in quo dolus non est.* Ioan. 1. 48. Ergo, ex monito Petri-
no, depositâ omni malitia & omni dolo & simulationibus & invidentiis,
& omnibus obirectionibus, ut modò geniti infantes, lac illud ser-
monis

307

monis sincerum expectamus, ut per illud augescamus. 1. Petr. 2. 1. 2.
Beatus, cuius spiritui non ineſt dolus. Psal. 32. 2. Verùm enim-
verò simplicitati huic columbinæ miscenda est prudentia &
astutia serpentina. Sic enim Servatòr: *Eſtote prudentes ut ser-
pentes, & simplices ut columbae.* Matth. 10. v. 16. Equidem
hinc vulpes, iſthinc afini eſſemus, ſi aut prudentiâ fine sim-
plicity, aut simplicity fine prudentia uteremur. Simplici-
tas fine prudentiâ mera eſt fatuitas atque iſtulfitas: prudenti-
tia fine simplicity, nimia eſt acerbitas, & turpis astutia.
Coniuncte plurimum proſunt, diſiuncte nocent. Gregorius
Nazianzenus Orat. 19. Patri ſuo utramque & simplicity
& prudentiam adfuſſe teſtatur. *Nam cum ſerpentis cir-
ca malum prudentiam, columbinæ circa bonum simplicity adju-
nxit, ita ſe comparavit, ut nec prudentiam in verſutam improbi-
tatem, nec simplicity in ſoliditatem degenerare ſineret: verūm
ex ambabus, quoad ejus fieri poterat, unam virtutis ſpeciem effice-
ret, numeris omnibus perfectam & abſolutam.* Si ſcire diſcupis,
in quibus ſita ſit prudentina ſerpentina, hæc potiſſimum in
ſerpente conſideranda veṇiunt. Primum novit ſerpens per-
petuam inter iſpum & hominem inimicitiam ſancitam eſſe,
propter quam homini iſpse horroř & odio ſit, ideoque ho-
minum conſortia ſtudioſe deuitat. Gen. 3. v. 15. Ita nos,
quum eadem ſimultaſ inter Diabolum & hominem ſancita
ſit, neque ille iſfidiari nobis deſinat, iſpum ſimiſiter fugia-
muſ, & cum eo omnes, quos mancipia ejus eſſe novimus.
Graviter Petrus: *Sobrij eſtote, vigilate: nam adverſarius ille
veſter Diabolus, ut Leo rugiens, obambulat, querens quem ab-
ſorbeat.* Cui obſtitite firmi per fidem. 1. Epift. 5. 8. 9. Neque
aliter Jacobus: *Obſtitite Diabolo, & fugiet a vobis.* cap. 4. v. 7.
Adhæc ſerpentes in vitandis incantatorum praefigiis dili-
gentiſſimos eſſe, diuinus Psaltes docet, quando impios re-
gni Saulini proceres conſert aſpidi ſurdæ & aurem ſuam obtu-
ſanti, ne audiat vocem incantantis. Psal. 58. 5. 6. Ita nobis
O 2
majori

majori studio advigilandum est, ne eorum præstigias admittamus, qui doctrinæ veritatis nebulas offundunt, mentesque fascinare student, ut relicto Sponfo Christo, superstitiones sectemur, quæ hujus merito derogant. Sunt hi Saranæ lenones, per quos fidem nostram expugnare, & nos perdere conatur. Ad horum ergo sermones, sive mellitis promissionibus eos condiant, sive minis terrere studeant, tanquam casta matrona aures obthuremus, ne quid ex illis in animum penetreret, quo hujus integritas corrumpatur. Huc faciunt illa Pauli: *Affecto vos Dei æmulatione. Aptavi enim vos, quos unum viro, ut virginem puram fistam, nempe Christo: Sed metuo ne quomodo, sicut serpens ille Evas seduxit calliditate sua, ita corruptæ cogitationes vestræ degenerent à simplicitate quæ est in Christo.* 2. Cor. 11. v. 2. 3. Denique serpentem hoc in primis agere dicunt Physici, ut in periculo caput tueatur, & ejus servandi studio corpus reliquum iætibus objiciat: Sic nobis etiam capitis tuendi cura præcipua esse debet. *Caput nostrum est Christus Iesus, ex quo totum corpus congruenter coagimentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras, ex vi intus agente, pro mensura uniuscujusq; membra, incrementum capit corpori conveniens, & ex quo uno Spiritus vitæ in nos derivatur.* Eph. 4. v. 15. 16. Huic per fidem inferimur, quâ solâ ille apprehenditur ac retinetur. De hac ergo servanda quâm maximè sollicitos esse convenit. Ut enim in solo Christo Patris ira placatur: *Ita fieri non potest ut absque fide quisquam Deo sit gratus:* Hebr. 11. v. 6. & *quicquid ex fide non est, peccatum est;* Rom. 14. v. 23. Ut ergo fides nobis salva sit, & per hanc Christo capiti induculo vinculo adhaereamus, non grave sit fortunas omnes amittere, & cum his quoque corpus totum atque sanguinem cum vita profundere. Stat enim Christi illud: *Quisquis voluerit animam suam servare, perdet eam: quisquis autem perdidierit animam suam, med' causâ, inveniet eam.* Matth. 16. vers. 25. Quare hic nobis

nobis omnium consiliorum atque studiorum finis esto, ut Christo Capiti indissolubili fidei constantis vinculo uniti maneamus.

7. Pueruli citò pacantur, nec iram diu retinent. Quamvis gravissimè offensi & læsi, mox rident, & ad lædentes familiaritatē se applicant. Jam manus conferuerunt, ac inter se altercati sunt, mox collidunt. Verè Seneca: *Sic consolamus crustulo pueros, sic infantium fletum infuso lacte compescimus.* Epist. 99. Sic placabiles se præbent filij Dei iis, qui ipsos offenderunt & læserunt: Amicos diligere, omnium est; inimicos, dolorum Christianorum. Notum est mandatum Christi: *Esto amicus adversario tuo, citò, dum es in via cum eo.* Matth. 5. v. 25. Cui consonant illa Pauli: *Non ip̄i vosmet ulciscimini, dilecti: sed date locum iræ.* Rom. 12. v. 19. Item: *Indurimi, ut electi Dei, sancti, & dilecti, visceribus miserationum, benignitate, animi submissione, lenitate, iræ cohibitione:* Sufferentes alij alios, & condonantes vobis mutud, si quis adversus aliquem habuerit querelam: *sicut & Christus condonavit vobis; ita & vos.* Col. 3. v. 12. 13. Hac placabilitate sancti utriusque Testamenti excelluere: Josephus, fratribus, sceleris in se recordatione consternatis, facilem se præbuit, ac divinæ providentiæ consideratione eos erexit: *Ne vos dolore crucietis, neque displiceat in oculis vestris, quod vendidistis me adducendum hoc: nam vietus causa misit me Deus ante vos.* Genef. 45. v. 5. Sunt etiam melle quovis dulciora isthæc verba ejus: *Vos quidem cogitaveratis contra me malum: sed Deus cogitavit illud in bonum convertere, ut faceret sicut est die hoc, conservando in vita populum multum.* Nunc itaque nemitis, ego sustentabo vos & parvulos vestros: ita consolatus est eos, & loquitus quæ erant eis cordi. Gen. 50. 20. 21. Ita quoque affectus fuit David. Intolerabiles & acerbissimas injurias à Saule passus, & ardentes vindictæ cupiditatis impetus sentiens, se cohibuit, animamque sedavit, nec vel levissimum

adversario damnum intulit, sed eum ut Unctum Iehovæ veneratus est. 1. Sam. 24. & 26. capp. Saul ipse incredibilem Davidis placabilitatem admiratus, exclamat, ac Davidi dicit: *Iustior es me: nam tu rependis mihi bonum, quum ego afficerim te malo.* Tu enim indicasti hodie, te afficere me bono: qui quamvis dederet me Iehova in manum tuam, tamen non occidisti me. Quum autem quis invenit inimicum suum, an dimittit eum cum beneficio? Itaque Iehova rependat tibi beneficium, pro eo quod fecisti mihi hodie. 1. Sam. 24. 18. 19. 20. Eādem lenitate & placabilitate usus est erga filium rebellem Absolomum, cui & parci voluit in prælio, & cujus horribilem mortem lacrimis ac lamentis prosecutus est. 2. Sam. 18. A Simei maledictis & conviciis provocatus, & à suis ad vindictam irritatus, modestè respondit: *Sinite eum ut maledicat, quia edixit ei Iehova.* Fortasse respiciet Iehova ad afflictionem meam, & reddet mihi Iehova bonum loco maledictionis ejus, hodierno die. 2. Sam. 16. 11. 12. Eādem erga hostes suos benevolum affectum alibi his verbis testatur: *Ad me quod attinet, quum ægrotarent inimici mei, indumentum meum erat saccus, affligebam jejunio animam meam, & oratio mea in sinum meum redibat. Ac si esset amicus, ac si esset frater mihi, continenter ad ipsum itabam: tanquam lugens matrem, atratus curvabam me.* Plal. 35. 13. 14. Christus ipse in summis mortis angoribus potiorem hostiū, quam suipius rationem habuit. Ita enim pro eis Deum precatus est: *Pater, remitte hoc ipsis. nesciunt enim quid faciant.* Luc. 23. 34. Eādem συμβέίξ ductus Stephanus protomartyr, in agone salutem hostium suorum Deo commendat, dicens: *Domine, ne statuas eis hoc peccatum.* Act. 7. 60. Væ ergo eis qui æternas sibi induunt iras, & læsi in marmore scribunt. Isti progenies sunt Diaboli, non genuini filii Dei. *Diabolus enim homicida fuit à principio.* Ioan. 8. 44. At quisquis odit fratrem suum, homicida est, & noscis nullum homicidam habere vitam æternam in se manentem. 1. Ioan. 3. 15. Pauli ista vox est:

est: *Sol ne occidat super exacerbatione vestra.* Eph. 4. vers. 26. Quod si nox iracundos nos non debet deprehendere, præsentissimum sibi periculum imminere putent, quibus irâ æstuantibus, Sol hujus vitæ occidit. Evidem suopte vota damnantur, quoties verba ista in precibus ingeminant: *Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.* Matth. 6. 12. Testem & judicem appello ipsum Servatorem: *Ita, inquit, & Pater meus cœlestis faciet vobis, nisi remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris, lapsus eorum.* Matth. 18. 35.

8. Pueri disciplinæ sunt patientes, monitores ferunt, & dictis facile in meliorem partem flecti possunt: Sic pii correptiones fraternalis admittunt, nec hortatoribus & correctoribus obstreput. Et sanè quum medicos & chirurgos, quantumvis aspera medicamenta nobis præscribentes, duriterque & inclementer ulcera nostra contrectantes, perferramus: Quanto magis nos oportet verbi divini ministros, imò pios quosvis, qui nos minis & terroribus fulmineis ex Satanæ faucibus & tendiculis, atque è flamma iræ divinæ eripere satagunt, patientissimè sustinere? Aliter, si illis auctiare recusemus, & aures aggravemus, denunciata judicia certissimè evenient, & pertinacè tabes nos in æternum excruciat, qui pati non possumus, ut sal verbi & correptionum nos ad sanitatem mordeat. Experti Judæi, qui, Dei jussu, à prophetis aliisque sanctis Dei viris, ob peccata in cœlum clamantia & vindictam exposcentia, increpati, & ad resipiscientiam stimulati, obscuruerunt, ac minas Dei proinanibus terriculamentis habuerunt; Deique nunciis insultarunt. Tandem læsa petulanter Dei patientia in furorem eruptit, poenasque de contumacibus meritas sumit. Prophetam audite: *Renuerunt attendere, & præbuerunt humerum refractarium, auresque suas aggravarunt, ne audirent; & cor suum disposuerunt ut lapidem perdiuturnum, ne audirent legem.*

psam & verba que mittebat Iehova exercituum Spiritu suo dicens per Prophetas illos priores: unde fuit fervor irae magnus à Iehova exercituum. Fuit enim quemadmodum clamantem ipsum non audiverunt, ut ita clamantes ipsos non audirem, ait Iehova exercituum: sed turbine disiicerem eos in omnes gentes quas non novaverant, & terra haec desolaretur post eos, destituta transiente & redeunte: ita disposuerunt terram desiderabilem in desolationem. Zachar. 7. v. 11 — 14. Hoc ipsum Deus per Prophetam denunciavit Amatzjæ regi Jehudæ, victoriâ ab Edomeis reportatâ elato, eorumque idololatriâ se polluenti, & Virum Dei liberè se corripientem scommate hoc & comminatione excipienti: *An consiliarium regi tradiderunt te? desiste, quare percuterent te?* Destitit Propheta; sed prius Regi pertinaci serid inculcavit illud: *Agnosco Deum iniisse consilium de perdendo te, quandoquidem facis hoc, ac non auscultas consilio meo.* 2. Chron. 25. 16. Nimirum verè pronunciavit Salomon: *Qui abstrahit se à castigatione, spernit animam suam: qui autem auscultat correptioni, possidet animum.* Prov. 15. vers. 32. Hoc etiam atque etiam vobiscum recognitatem disciplinæ ofores & contemptores, longè diversus est eventus abstractionis vestræ à castigatione, quam vos putatis. Subducentio vos, ut animo vestro obsequamini, existimatis vos animabus vestris honorem habere, & contrâ servile quiddam esse & abjectum, scholæ Christi addictum & adscriptum esse, & correptiones æquo animo ferre: sed longè fallimini. Nam planè animas vestras spernitis, quæ hoc modo in ignorantia, & in cœno, & veluti in sanguine nativæ pravitatis fuisse jacent; nec jacent tantum, sed indies majorem & cætitatem & duritiem, seu perversitatem accerfunt attrahentes, quoad peccatis onustæ in imum barathrum demergantur. Quæ autem hæc inconsiderantia, corporis voluptrati bus infervire, quibus anima, hominis nobilissima pars, pessum eat: perinde ac si quis, ut rediviarum dolori medeatur,

capitis

capitis sui damnum pateretur? Tametsi nec corpori modo prospicitur, quod ejusdem cum anima interitus particeps erit. Viceversâ qui correptioni auscultat, animum suum possidet, Salomone teste. Cui effato affine est pronunciatum istud Christi: *Per tolerantiam vestram possidete animas vestras.* Luc. 21. 19. Nam auscultare correptioni, tolerantia quædam est. Ita animam suam in tolerantia possedit David: *Percutiat me justus (percussionem) vocat correptionem, quæ ægrè solet facere corpori) beneficium erit, & corripiat me, id erit unguentum præstantissimum: ne prohibeat illud à capite meo.* Nam quod amplius id fecerit, ed amplius oratio mea erit in malis eorum. Psal. 141. 5. Ac ne verbis dunta xat eum rem egisse existimetis, ipsa facta considerate, verbis examissim respondentia. A Nathane Propheta, ob adulterium & homicidium admissum, liberè graviterque reprehensus, non obstrepuit, nec silentium reprehensori imperavit, neque minas effudit, sed instar pueri obmutuit, & unicum hoc respondit: *Peceavi Iehovæ.* 2. Sam. 12. 13. Magnates bene secum agi autumant, quando neminem habent sibi contradicentem; omnes adstipulantes. Et habet Gnatho Terentianus plurimos asseclas. Ait is:

*Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt,
Nec sunt: hos consector: hisce ego non paro me ut rideant,
Sed eis ultro arrideo, & eorum ingenia admiror simul:
Quicquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque:
Negat quis, nego: ait, ajo: postremò imperavi egomet mihi,
Omnia absentari. is quæstus nunc est multo uberrimus.*

Eunuch. Act. 2. Scen. 2. Isthoc hominum generenihil est pernicioius. Eleganter dictum est à Diogene Cynico: *κρεπτόν εστιν οὐχ οὐχιας απελθεῖν, οὐτε κολακες:* quod hi & viros, & bonos etiam viros devorarent. David percussionem sibi expetiit, eamque admisit, & ejus haud minorem jucunditatem esse afferuit, quam qualis est quam ex balsamo aut a-

lio fragrante unguento percipitur: imò preces se ad Deum, gratitudinis ergò, pro tām salutari admonitione & reprehensione à justis protectā, in malis ipsorum fusurum pollicetur. Et sanè summa correptionis est necessitas atque utilitas. Neque enim satis est ad acquirendam veram sapientiam atque pietatem, si quis salutaribus præceptis fanāque doctrinā imbuatur, nisi porrò correptio accedit. Præclarè nobiscum agi reputare debemus in hac naturæ nostræ corruptela atque perversitate, si omnibus simul & conjunctis rationibus à Deo institutis ad salutem proficiamus. Naturæ enim inertis & asininae semper in nobis superfluit reliquiae, quæ scuticā & flagello opus habent. Tametsi *spiritus promptus est, at caro est infirma.* Matth. 26. 41. Id vero partium enumera-
tione liquidò conitat. In familia virga correptionis liberis necessaria est. Testis Salomon: *Stultitiam alligatam animo pueri, eam virga eruditionis amovebit procul ab ipso.* Prov. 22. 15. Quod & illud ejusdem vergit: *Qui cohibet virginem suam, odit filium suum: qui autem amat eum, tempestivè procurat eruditio- nem ei.* Ibid. cap. 13. 24. In Davidis familia Dei cognitio ampla & copiosa extitit: Ubi Davidis vita exemplum (ex-
ceptā iuriā Uriæ illatā) lucidum & fulgens in totius familiæ oculis resplenduit: perierunt tamen filii ejus Absolomus & Adonia, quia virga correctionis subtracta fuit. Di-
lertè Scriptura hoc notat de Adonia; *quem pater ejus nunquam dolore afficiebat, dicendo; quare ita facis?* 1. Reg. 1. 6. In Republica idem usu venire constat. Quid enim sunt magna regna, absque justitiæ administratione & poenarum de utriusque tabulæ Decalogi violatoribus sumptione, nisi ma-
gna latrocinia? Quod si magistratu officium strenuè faciente, vix tūti per publicas vias incedere possumus; quid fi-
eret sceleribus & facinorosis impunè grassantibus? Stat il-
lud Pauli: *Quod si feceris quod malum est, metue. non enim frustra magistratus gladium gerit. nam Dei minister est, vindicta ad- iram.*

iram ei, qui quod malum est fecerit. Rom. 13. 4. Ut & hī locum inveniat divina illa interminatio: *Maledictus qui cohibet gladium suum à sanguine.* Ierem 48. 10. Denique in Ecclesia Christi tanto magis opus est correptione, quod magis homines inepti sunt ad officium in Ecclesia præstandum, quam in familia & Republicā: quum ad societas illas tuendas & conservandas semina quædam naturā hauserimus, quæ nulla sunt ad perficienda illa, quæ in Ecclesia Dei re-quiruntur. Ideoque gradus correptionis & disciplinæ Ecclesiasticæ Christus distinctè & accuratè exposuit, dicens: *Si peccaverit in te frater tuus, ito, & argue cum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si vero te non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos: ut ex ore duorum aut trium testium confirmetur res tota.* Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut ethni-
cicus & publicanus quispiam. Amen dico vobis, quæcumque lig-
veritis in terra, erunt ligata in cælo: & quæcumque solveritis in
terra, erunt soluta in cælo. Matth. 18. 15. — 18. Hinc liquet plurimum prodeesse, ut correptio stabiliatur atque exerceatur. Neque enim acrius & efficacius frænum peccatoribus injici potest. Sicut in familiis & scholis sola virgæ contre-
Etatio metum affert: & in Republ. virgarum & securium ante Prætorem prælatio terrorem incutit, & audacium animos constringit, ut prout eorum natura fert, non erumpant: Sic etiam in Ecclesiæ sola & nuda disciplinæ & correctionis sta-
bilitio multos in officio retinet: & castigantur homines, non tantum cum ipsi corripuntur, sed etiam cum alios castigari & corrigi vident. Atque huc tendit Paulinum illud: *Eos qui peccant, in conspectu omnium argue, ut & reliqui metuant.* 1. Tim. 5. 20.

EPILOGUS.

ATque sic prolixè, & quantum fatis est, uti spero, demonstravimus, à puerulis multa juvenes senesque, superiores & inferiores discere posse, quæ imitentur, ut viam veritatis & pietatis rectè calcare, & in regnum cœlorum feliciter ingredi possint. Nam quicunque instar puerulorum, *sese deprimunt, extollentur.* Luc. 18. 14. Qui in adversis & prosperis, in vita atque in morte, unicè ac firmiter à Deo dependent; protectorem & auxiliatorem sapientissimum, potentissimum & benignissimum eum experientur, ac opinium hoc triumphale, cum Paulo, læti canere poterunt: *Mibi persuasum est, neque mortem, neque vitam, neque angelos, neque principatus, neque potestates, neque praesentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei que est in Christo. Iesu Domino nostro.* Rom. 8. 38. 39. Qui de nulla re solliciti, animam suam sedant & componunt, ex Christi promisso requiem animabus suis invenient. Matth. II. 29. Qui Dei præsen-
tiā lætantur, æterno gaudio perfundentur, cantaturi cum regio Psalte: *Satietas gaudiorum est coram facie tua, Iehova; amenitates sunt ad dexteram tuam in aeternum.* Psal. 16. 11. Qui forte suā contenti sunt; in Deo ditescent, ac Davidi succi-
nent: *Iehova pastor meus est, non possum egere.* Psal. 23. 1. Qui simplicitati & sinceritatī cordis student, *beati sunt.* Psal.
119. 1. Nam *luctuosa est justitia, & rectis corde letitia.* Psal. 97.
11. Qui placabiles sunt, Deum propitium sentient. Neque enim fallit promissio Christi: *Remittite, & remittetur vobis.* Luc. 6. 37. Denique qui *correptiones admittunt, & servant, honorabuntur.* Prov. 13. 18. *inter sapientes commorabuntur, animamque suam possidebunt.* Ibid. cap. 15. 31. 32. Hocce su-
as puerulos Christus tandem Patri suo coelesti sistet, dicta-

rus;

IN MATTH. XVIII.

117

rus: *Ecce ego & pueri quos mihi dedit Deus.* Hebr. 2. 13. Pa-
ter verò eos assumptos, æternâ gloriâ & felicitate ornabit &
coronabit. Ibi perpetuatis gaudiis beabimur, ex conspectu
Patris, Filii, & Spiritus sancti, unici illius & veri Dei, qui
est benedictus in secula. *AMEN.*

CONCIO TERTIA,

IN

MATTH. XVIII. vers. 3. 4.

*Et dixit, Amen dico vobis, nisi converteritis
vos, & siatis ut pueruli; nequaquam ingre-
diemini in regnum cœlorum. Quisquis igi-
tur aemiserit sese, sicut puerulus iste, is est
maximus ille in regno cœlorum.*



Imirum ita est, uti vere graviterque Salo-
mon: *Quum, inquit, venit superbia, venit igno-
minia.* Prov. 11. v. 2. Quibus verbis valde
affinia sunt illa ejusdem: *Ante confractiōnēm at-
tollit se animus viri: anteit verò honorem abjectio-*
Ibid. cap. 18. 12. Appositissima hæc atque suavissima simi-
litudo petita est à viatoribus, vel potius curforibus, qui
uno eodemque tempore se in viam dant, curruque contendunt, uter alterum celeritate vincat. Nempe ita superbia
& ignominia in stadio currunt. Tanietsi autem superbia
prior cursum incipiat, subsequens tamen illam ignominia,
ita suum iter accelerat, ut illam affequatur atque contin-

P. 3.

gar.

gat. Superbia ex depravata nostra natura, tanquam ab inferis excitata, contentissimo & citatissimo gradu fertur: sed ignominia cælitus immissa, celeritate illi haud cedit. Nec mirum. Nam superbis Deus obficit. 1. Petr. 5. 5. Inter sex istas que odit Iehovia, imò inter septem quæ abominationi sunt animalia ejus; primo loco collocantur oculi elati. Prov. 6. 16. 17. Exempla loquuntur. Hamanis superbia celeriter perrexerat, & in summum honoris fastigium ipsum extulerat: verùm nec ignominia præcurrentem superbiam insequens, substitit, sed continenti incitatoque cursu eam affecuta, de patibulo Hamanem deturbavit. Esth. 5. 6. 7. capp. Nebucadnetzaris regis Babyloniae ambitio præpeti properabat cursu: imò ipsum Dei thronum se jam occupasse miserrimus terræ vermiculus somniabat. Annon, inquit, haec est Babylon illa magna: quam ego adificavi, ut esset regia & ornamentum decoris mei robore potentie mee? Sed ignominia superbiæ affequens & deprehendens, eum vix illa elocutum, de summa dignitate infra humanam sortem inter bestias dejecit. Dan. 4. v. 30. 31. Id ipsum evenit Herodi Agrippe, acerrimo atque furente cursu in via giganteæ arrogantiæ & superbiloquentiæ ad ignominiam contendenti. Historiam paucis Lucas describit: Statuto die, Herodes induitus veste regiæ, & confidens pro tribunali, concionabatur ad eos. Populus vero acclamabat, Vox Dei, & non hominis. Illico vero percussit eum Angelus Domini, eo quod non tribuisse gloriam Deo, & erosus à vermbus, exanimatus est. Act. 12. v. 21. 22. 23. Contrà dejectio seu afflictio, atque honor & exaltatio piorum, cursu quoque certant. Illa quidem præcurrerit; sed hæc eam uara nō dñs sequitur: & ubi illa diu plōs exercuit, hæc superveniens molestiam in quietem, tristitiam in lætitiam, paupertatem in divitias, omnesque miseras in felicissimum statum convertit. Stat enim pronunciatum illud Christi: Quicunque sese deprimit, extolleatur. Luc. 18. 14. Ideo Aesopus rogatus,

rogatus, quid Deus faceret? Sublimes, inquit, detrudit deprimitque, & humiles elevat. Exemplo Christi id liquet: qui quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse sese inanivit, formam servi acceptam, similis hominibus factus: & habitu inventus ut homo, ipse se submisit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genu se flectat cœlestium ac terrestrium & subterraneorum: omnisque lingua profiteatur Iesum Christum esse Dominum, ad gloriam Dei Patris. Philip. 2. vers. 6. & seqq. Hoc ipsum Christus discipulis suis, de primatu contendentibus, serìò h̄ic inculcat. Postquam enim in medio eorum statuto puerulo, converti eos, & effici ut puerulum istum in humilitate, simplicitate, sinceritate, & utræque in filiali fiduciâ, placabilitate, aliisque virtutibus iustifiens; rationem à dupli effectu addit;

II. A Noxio, nisi præcepto paruerint; scilicet æternâ ignominia superbiæ affsecutarâ, h. e. exclusione è regno cœlorum. vers. 3.

III. Ab Utili, si mandato auscultaverint; scilicet æternâ gloriæ humilitatem excepturâ, id est, receptione in regnum cœlorum. vers. 4.

Faxit Christus, humilitatis doctor & author fidelissimus atque exemplar absolutissimum, ne aures nostræ duntaxat voce ipsius personent, sed ut corda quaque nostra ipsi pateant, quod altas in eis radices humilitas agat. A M E N.

I. E F F E C T U S N O X I U S :

Hujus indicatur I. Certitudo: II. Atrocity.
I. Certitudinem Christus quadrifariam inculcat: Nempe:

Nempe altissimis in corde humano superbia & ambitio defixa est radicibus. Quemadmodum primum vitiorum in naturam nostram corrumpendam irrepit: Ita ultimum ex eadem in pristinam integritatem restituenda excedit. Ut summā ad eam pellendā opus sit diligentia, fortibusq; antidotis. Et, si inde à natali nostro hanc telam ordiamur, & ad extremum vitae diem continenter operi incumbamus, ea tamen imperfecta relinquetur. Est enim venenum tam pervicax tenaxque, ut haustum nullis remediis & antidotis omnino possit exhaustiri atque evomi. Christus ergo hunc morbum in Apostolis, metu exclusionis ex cœlo, imminuturus ac repressurus, quatuor notabilibus loquendi formulis effectus noxij certitudinem testatam facit.

1. *Dico vobis*, inquit. Tantundem autem dicit: Quicquid inter vos de primatu disceptetis, quicquid de eo mundi filij somnient atque dicant; *ego vobis*, qui mei estis, dico, neminem in regnum cœlorum ingressurum, nisi per humilitatis viam. Multum hæc verba ponderis ad persuadendum habent. Viro sapiente loquente, omnes adstant arrestis auribus. At hic loquitur æterna atq; essentialis Dei Sapientia, Dei Filius: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae ac notitiae absconditi*. Col. 2: 3. Rege aliquo terreno verba faciente, sermone ejus moventur ministri & subditi. Hic os suum aperit, atque alloqui nos dignatur ipse *Regum Rex, & dominantium Dominus*: Apoc. 19. 16. Non, inquam, hæc dicit homo mendax, & imbecillis; sed ipsissima *Veritas*. Joan. 24. 6. *In cuius ore non fuit inventus dolus*. 1. Petr. 2. vers. 22. Is dicit, cui jurati & capitales hostes hoc perhibent testimonium: *Præceptor, scimus te veracem esse, & viam Dei in veritate docere, nec quenquam curare*. Math. 22. 16. Nec est quod verba isthæc tantum esse existimetis. Immunabile & gravissimum pondus sanctis ejus verbis ineft. Audite Patrem cœlestem intonantem: *Erit, ut quisquis non audierit*.

sicut

sicutaverit verbis meis quæ loquuturus est in nomine meo; ego respondeam ab ipso. Deut. 18. 19. Ille dicit, qui non solùm habet autoritatem instituendi, exhortandi, & committandi; sed etiam potestatem puniendi, & corpus animamque superborum in gehenna perdendi. Non verba duntaxat vita æternæ habet; Ioan. 6. 68. sed & claves habet inferorum ac mortis. Apoc. 1. 18. Verè ut nos atque opportunè præmonieat: *Ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare: sed timete potius eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna*. Matth. 10. 28.

Uſus ad traideſtar.

Hic locum habet illud Christi: *Quæ dico vobis, omnibus dico*. Marc. 13. 37. Imò verò speciatim atque nominatim, Mihi, Tibi, singulis, humilitas commendatur. Significanter & nervosè Mica Propheta: *Indicavit Tibi, o homo, quid sit bonum: ecquid Iehova requivit abs te, nisi ut modestè ambules cum Deo tuo?* cap. 6. 8. Beati, qui Christo hæc dicenti fidem habent. Ipse Christus beatos tales prædicat, dicens: *Beati qui audiunt sermonem Dei, & eum observant*. Luc. 11. 28. Væ verò iis, qui ipsi non credunt, *sed mendacem eum faciunt*. 1. Joan. 5. 10. Nec juvat, Christi cognitionem & nomen jactare, nisi animi submissioni studeas. Non enim minus verè quam piè Ioannes ait: *Qui dicit, novi eum, & præcepta ejus non observat, mendax est, & in eo veritas non est*. 1. Epist. 2. 4. Superbus dicit: Non damnabor, etiamsi supra alios me extollam. Christus contrà: *Ego dico vobis, nisi fiat ut pueruli, nequam ingrediemini in regnum cœlorum*. Utri credemus? Superbōne, de quo Paulus: *Omnis homo mendax?* Rom. 3. 4. an Christo, qui mentiri nescius? Tit. 1. 2. Si quis regerat: Christum, in cœlum receptum, minimè nobis loqui; is sibi responsum hoc habeat: Christum mediatè

Q

mediatè

C O N C I O T E R T I A

mediatè nos bifariam alloqui : 1. In sacra Scriptura, quam *os suum appellat.* Esaï. 30. 2. Hæc regula est, secundum quam *incedendum, credendum, vivendum.* Gal. 6. 16. Quisquis Christum audire, vitamque ex ipsius præscripto instituere volet, os Christi, Scripturam consulat. *Scrutamini Scripturas,* inquit, illæ sunt quæ testantur de me. Joan. 5. 39. In Scriptura Christus identidem ad animi demissionem nos exhortatur, & à superbia dehortatur. Christi illa vox est: *Discite à me quid mitis sim & humilis corde.* Matth. 11. 29. Nec aliter Petrus, actus à Christi Spiritu: *Submissione animi estote in- tuis ornati.* 1. Pet. 5. 5. 2. Loquitur nobis Christus in ministris suis. Rotundè Filius Dei: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. 16. Verbi ministerium spiritualis ille *curus* est, quo Christus initio nos secum devehit in atria templi sui in hac vita, donec per mortem postea nos introducat in Sancta sanctorum, in quæ ipse per proprium sanguinem prævivit, eternâ redemptione inventâ. Ezech. 1. 15. *Legatione Christi nomine Ecclesiarum pastores funguntur.* 2. Cor. 5. 20. Atqui legato, si ex Domini præscripto agat, ejusq; mandata religiose executatur, fidem habemus, & quæ Domini iussu & nomine proponit, æquè attendimus, ac si coram Dominus ipse mentem suam verbis explicaret. Sic cum Christi tantum oracula minister orthodoxus loquatur, adeoque *in eo ipse nobis loquatur Christus;* 2. Cor. 13. 3. omnino quicquid ponderis debet, atque conciones ex ore Domini exceptæ, & ab Evangelistis atque Apostolis configuatæ. Quoties vero, quantâque sermonis contentionе, & spiritus ardore, humilitatis studium sinceri Dei legati & servi auditoribus suis commendant? Atque ut cœtiūs faciliusque aures animos præferunt, ac *Dominum cum omni animi submissione serviant.* Act. 20. 19.

2. Ad:

Univ. Bibl.
München

I N M A T T H. XVIII.

123

2. Addit Christus: *Amen dico vobis. Non desunt ex sa- nioribus Patribus & neotericis Ecclesiæ Doctoribus, qui vo- culam Amen juramenti formulam esse putant. Expressè Hieronymus in cap. 25. Esaïæ: In Veteri, inquit, Testamen- to Dei juramentum est: Vivo ego, dicit Dominus: in Novo autem, Amen amen dico vobis.* Èadem etiam imbutus opinione fuit Chrysostomus, dicens: *Amen dico vobis, jurat Christus: debe- mus Christo juranti credere.* *Quod enim in Veteri Testamento di- citur: Vivo ego, dicit Dominus; in Novo dicitur: Amen amen dico vo- bis, hoc est, verè, verè.* *Amen idem sonat, quod Verè.* Itaque perinde est, atque si dicat Christus: Per Deum, qui veritas est, vobis hoc dico & affirmo. Equidem tali erga se confir- matione opus minimè habebat Christus. *Etenim Amen, testis ille fidelis & verax.* Apoc. 3. 14. *Sermo illius veritas est.* Ioan. 17. 17. At fidem nostram quasi extorquere vult, nos- que præmonere, certò nos perituros nisi credamus. Nullum Christi verbum est, quod verissimum non sit & certif- simum, ac pro tali ab omnibus habendum: sed juxtâ & il- lud certum, singulari quodam affectu verba illa à Christo prolatæ esse, quæ asseverationem istam adjunctam habent, atque eam ob rem singulari quâdam diligentia audienda, recipienda & conservanda.

A P P L I C A T I O.

Sancto hoc Christi juramento aures animique nostri cir- cumsonare debent. Non verbis duntaxat, sed etiam juramento interposito Christus superbis regnum cœlorum negat. O terque quaterque beatos, fidem qui Christo ju- ranti habent! O miserrimos, qui ne juranti quidem Christo credunt! Etenim si Christo, fidem suam solenni jure- jurando alligantem, fidem non habeamus, in ira sua juravit, se incredulos extirpaturum. Iudeis incredulis juravit in

Q 2

ira sua,

ira sua, dicens: *Si ingressuri sunt inquietum meam, non ero Deus;* Psal. 95. 11. Sic quoni exploratores, missi Kadescho barnehæ ad considerandam terram promissam, diffidentiâ fratri, animum filiorum Iraelis rumperent, ne vénirent in eam terram, quam Jehova eis dabat; *accensus irâ Iehova die illo,* juravit dicendo: *Ne vivam, si viderint homines isti qui ascenderunt ex Aegypto à nato viginti annos & deinceps, terram ilam quam juramento promisi Abrahamo, Isaaco & Iacobo: eo quod non sunt plenè sequenti me.* Num. 32. 8—11. Inter homines *jusjurandum ad confirmationem adhibitum, est omnis controversie terminus.* Hebr. 6. 16. Ecquis ipsi Christo juranti contradiceret, fidemque infirmaret? Nec tamen est, quod solos ambitiosos & superbos regno coelorum exclusos existimemus: etiam in perniciem aliorum peccatorum *apertavontrav* Deus juravit. In horum censu sunt seditiones, rebellionem qui faciunt, & in Deum ac magistratum legitimum insurgunt. Experti Iraelitæ, redditum in Aegyptum moliente, mortemque Mosis & Aharoni ducibus suis parantes. *Ne vivam ego, dictum Iehovæ, nisi quemadmodum loquuti estis audiente me; ita fecero vobis: Nisi in deserto hoc ceciderint cadavera vestra, & omnes numerati vestri toto numero vestro, à nato virgini annos & deinceps; que murmurasti adversum me: si vos ingressuri estis in terram, in qua juravi tollens manum meam me colligaturum vos.* Et paulò post: *Ego Iehova loquutus sum, mentiar nisi loc seculo toti caeti malo isti, qui congregati fuerunt contra me: in deserto isto deficient, & ibidem morientur.* Numer. 14. 28. 29. 30. 35. Nec poenam Dei effugient avari, qui proximum loco trudunt, & opprimunt. Stat enim juramento suo Deus: *Vae, nec nihil amplius sit loci, & efficiamini habitatores vos soli in media hac terra.* Me audiente, Iehova exercituum dixit: *Ne vivam, nisi domus multæ desolationi sint, magnæ & præstantes;* adeo ut nullus futurus sit habitator. Esaï. 5. 8. 9. Tyrannos quoque

quoque poena Dei juramento confirmata manet: id quod liquet exemplo tyranni Assyrij: *Iuravit Iehova exercituum dicendo: Mentiar, nisi quemadmodum proposui mihi ita fueritis, & quemadmodum consilium inivi, illud exstiterit: quum frangendo Assyrium in terra mea, super montes meos proculcavero eum, tunc amovebitur ab ipsis jugum ejus, & onus ejus ab humero istius amovebitur.* Esaï. 14. 24. 25. In idololatrarum exitium Deus etiam juravit. Nam quum Iraelitæ in Aegypto commorantes sanctum & venerabile Dei nomen cultu suo idololatrico prophanarent, ille irâ incitatus: *Ecce, inquit, ego ju-ro per nomen meum maximum, pereat, si fuerit amplius nomen meum prædicatum ore ullius viri Iehudæ qui dicit, vivit Dominus Iehovi, in toto terra Aegypti.* Ecce ego citio incubiturus sum eis in malum, non autem in bonum: ut consumantur omnes viri Iehudæ qui sunt in terra Aegypti gladio, ac fame, donec deficiant. Jerem. 44. 26. 27. Similem poenam reliquis Iraelitis idololatris denunciat, ac juramento interposito firmat: *Ne vivam ego, dictum Domini Iehovæ, nisi eo quod sanctuarium meum impurasti omnibus rebus detestandis tuis, & rebus omnibus abominandis tuis; ideo tunc ego succidam, ut non parcat oculus meus, tunc etiam ego non utar clementia.* Ezech. 5. 11. Denique omnes contumaces & divinæ voci immorigeros certissimum & Dei juramento firmatum manet exitium. Audite Deum cœlitus intonantem, & in Iudeos inobedientes jurantem: *Si non auscultaveritis verbis istis; per me juro, dictum Iehovæ, invasitatemabituram esse domum hanc.* Nam sic ait Iehova de domo Regis Iehudæ, velut Gilhad tu mihi fueras, ut caput Libani: *mentiar, nisi disposuero te ut desertum, ut civitates non habitabiles.* Jerem. 22. 5. 6. Huc spectat illud Pauli: *Quibus juravit Deus non ingressuros in quietum suum, nisi iis qui non obedierunt?* Hebr. 3. 18. Iurata isthæc Dei interminatio omnibus incumbit peccatoribus resipiscere nesciis. Cave: putes Dei juramenta inania esse terriculamenta. *Negare seipsum*

seipsum Deus non potest. 2. Tim. 2. 13. Negaret autem seipsum, si suo jurejurando non staret.

Sed & fidei nostræ fulcimenta atque firmamenta sunt Dei juramenta. Fieri enim non potest, ut mendacem Deus in suis promissis & juramentis agat. Stat Davidicum istud: *Iuravit Iehova, & non paenitebit eum.* Psal. 110. 4. Quid & illud vergit: *Iuravit Iehova veritatem, à qua non avertet se.* Psal. 132. 11. Et signatè Deus ipse: *Per me juravi, producit ex ore meo justè verbum, quod non revocabitur.* Psal. 45. 23. Rursum: *Non mentiar contra fidem meam, & pronunciatum labiorum meorum non mutabo.* Psal. 89. 34. 35. Eapropter Paulus immutabilitatem promissi & juramenti divini solidum fundamentum statuit, quo nixa magna & verè heroica Abrahami fides, ad omnes tentationum impetus immota steterit: *Deus, inquit, volens ex abundanti hæredibus promissionis ostendere immutabilitatem consilij sui, fidejussit jurejurando: ut per duas res immutabiles, in quibus fieri non potest ut mentitus sit Deus, validam consolationē habeamus nos qui cursum eò corripuiimus ut spem propositam retineamus.* Hebr. 6. 17. 18. Iстiusmodi sanctæ Dei asseverationes & consolatoria juramenta multa extant in sacris paginis, quæ totidem fidei nostræ in precibus, calamitatibus, peccati angoribus, sensu infirmitatis, mortisque terroribus fulcra sunt & stabilimenta. Sæpe titubamus oraturi, ac intructuolas preces nostras esse putamus. Audias Davide in flebiliter gementem: *Deus mihi, quare dereliquisti me? quare longinquus es à salute mea, à verbis rugitus mei?* *Deus mihi, invoco interdiu, sed non exaudiens: & noctu, sed non contingit quies mihi.* Psal. 22. 2. 3. Audias Ecclesiam afflictam querimonias hasce lugubres fundentem: *Etiam quum clamo & vociferor, obstruit orationi meae. Obtegis nube te, ne pertranseat oratio.* Thren. 3. 8. 44. Quid si idem nobis contingat; recordemur dulcissimæ hujus & gravissimæ Christi asseverationis, ac sanctissimi jurisjurandi:

Amen

Amen amen dico vobis, quæcumque petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16. 23. Evidem hoc Christi juramentum omnes cordis dubitationes terminare meritò debet. Christo enim jurante, ecquis non plenâ fiduciâ Patrem coelestem compellaret? *Si vos, inquit idem clementissimus Servator, qui malū estis, nostis dona bona dare liberis vestris: quanto magis Pater ille vester, qui est in cælis, dabit bona illis qui petierint ab ipso?* Luc. 11. 13. Ejusmodi hæc sunt, ut animare quemvis languentem animum possint. Quandocumque etiam pii, maximis & cruciabilibus calamitatibus pressi, suspirant: *Dereliquit me Iehova, & Dominus oblitus est mei.* Esai. 49. 14. Frequenter Davidica ista audiuntur lamenta: *Quousque Iehova oblivisceris mei in aeternum? quousque abscondes faciem tuam à me?* Psal. 13. vers. 2. 3. Ibi tūm succurrat opportunum illud & consolationis plenissimum coelestis opitulatoris juramentum: *Vt aquæ Noachi hoc mihi est, qui juravi non transituras aquas Noachi amplius super terram: Sic juro, fore ut non effervescam contra te, & non inorepem te.* Quamvis hi montes recederent, & hi colles dimoverentur: attamen benignitas mea à te non recedet, & fedus pacis meæ non dimovebitur, ait miserator tuus Iehova. Esai. 54. vers. 9. 10. Tantundem Deus dicit: Perinde agam ut olim, quando tempore Noachi aquas diluvij immisi, quibus omnis terra inundata, & animalia cum hominibus extincta sunt. Ut enim tunc juravi, nunquam posthac fore, ut diluvium universale super terram veniat, & juramenti hujus sigillum in nubibus dedi arcum sive iridem: Gen. 9. vers. 11. & seqq. Ita nunc etiam sancto & inviolabili me juramento obstrinxii, nunquam fore tempus, quando totus mundus universalibus tenebris immergatur & pereat: sed semper erit aliquod Ecclesiæ seminarium, quod longius latiusque propagetur: & licet aliquando iratus te corripiam, semper tamen iram meam clementiâ temperabo, & poenis modum statuam. Nam nobilis

nobile atque immotum hoc est fidei calamitatibus exercitæ fulcrum, atque efficacissimum diffidentiæ remedium. Indignè ferunt homines, si quis verbi eorum fidem habere dignetur. Et tu Deum ferre posse existimas, si ipsi etiam jurato non credas, qui veritas est? Quin potius certò statuas, quām certum, terras universali eluvione posthac vastandas non esse; idque propter jusjurandum, quo se Noacho Deus obstrinxit: tām quoque certum, Deum te non deserturum, nec *situm te tentari supra id quod potes.* 1. Cor. 10. vers. 13. Montibus & collibus nihil firmius, nihil immobilius; & locum mutare tamen, sedibusque suis dimoveri possunt. At non mutabit Dei in te misericordia: nec nutabit fedus illud gratiæ, quod tecum pactus est. Montes moveantur, imò corruant! at misericordia Dei erga te, suo gradu semper statura est. Quid si hæc à te recessura non est, nec fides recedet: si fides non recedet, nec recedet consolatio: si denique consolatio recessura non est, vinces omnia, afflictiones, persecutio[n]es, tentationes, mortem ipsam. Hāc consolatione usus est in agone Gaspar Olevianus, fidelis Dei servus, & de Ecclesia, quā calamo, quā voce, optimè meritus. *Etiam si,* inquietabar, visus, auditus, sermo recedant: at Dei gratia non recedet. Faxit Dominus Iesus, ut & nobis hæc in omnibus afflictionibus ipsaque morte fixa sit consolatio. Nonnunquam Dei filii de peccatis suis gravissimè & insolabiliter anguntur. Davidis, peccatorum conscientiā stimulati, sunt ista: *Non est pax in offib[us] meis propter peccatum meum. Nam iniquitates meæ transcendunt caput meum;* ut onus grave, graviores sunt quām perferre queam. Psal. 38. 4. 5. Sed & huic tristissimo atque acerbissimo animæ vulneri divinum isthoc medetur juramentum: *Ne vivam ego, dictum Domini Iehovi, si delector morte improbi;* sed delector quum revertitur improbus à via sua, ut vivat: revertimini, revertimini à viis vestris pessimis; cur enim morere-

¹²⁹ *moreremini domus Israëlis?* Ezech. 33. 11. Sanè nescio, quā laxius & pleniore affectu cor suum misericordissimum peccatori resipiscenti pandere Deus possit. Quum olim David de exilio in regnum reductus, Simei maledico, culpam deprecanti, veniam juramento polliceretur, ac ipsi diceret, *Non es moriturus,* sc. per me, 2. Sam. 19. 24. Simei veniæ vitaque securus, in regis jurejurando acquievit, nec rege vivo sceleris poenam luit. Quidni nos conscientiā & sensu peccatorum nostrorum dejecti ac tantum non oppressi, Deo scelerum omnium remissionem jurejurando firmanti crederemus, ac paternum ejus affectum exosculareremus? Porrò non defunt, quos fidei infirmitas sollicitos reddit. Pater Lunatici hoc unum in votis habebat: *Domine, succurre incredulitati meæ.* Marc. 9. 24. Hic nos consolari & sustentare debet Christi optatum juramentum: *Amen dico vobis, si habeatis fidem quantulum est granum sinapis, dicetis huic monti, Transgreditor hinc illuc: & demigrabit; & nihil impossibile vobis erit.* Matth. 17. 20. Denique ubi mors fores cordis nostri pulsat, & frigidus sudor è toto corpore manat, omnisque spes in ultimo hoc agone labascere videtur, in lætam certamque melioris atque perrennis vitæ spem nos erigat Christi jusjurandum: *Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet: sed transivit à morte in vitam.* Ioan. 5. 24. Tale fuit Christi juramentum, quo latroni in Cruce pendenti, & animam jamjam efflaturo, regnum, crucifixo cœlum, damnato paradisum promisit: *Amen dico tibi, hodie tecum eris in paradyso.* Luc. 23. 43. Iniquum iudicabant Ægyptij, quibus citra juramentum fides habita esset, his de eodem contractu juratis fidem denegari. Diodor. Sicul. libr. 1. Biblioth. cap. 79. Quum verò quodlibet Christi verbum, veritas sit, Ioan. 17. vers. 17. & quum omnes promissiones Dei in Christo sint *Etiam & Amen;* 2. Cor. 1. v. 20.

iniquissimum foret & impiissimum, ipsi juranti fidem dengare.

3. Sed neque hic substitit Christus : sed ut effectus noxiæ ambitionis certitudinem evidentiis indicaret & fortius inculcaret, etiam hoc addit, *εἰν οὐ, nisi* converteritis vos. Isthaec vocula conditionis requisitæ & implendæ necessitatem arguit, si quis re promissâ potiri, & damnnum poenamque denunciatam effugere velit. Qui hæreditatem obtinere vult, eum accurate & strictè conditions observare oportet, quibus illa obvenit & aditur, impositaque illi onera & gravamina portare atque solvere. Regnum coelorum est hæreditas filiorum Dei. Conditio his qui in regnum coelorum volunt ingredi præscripta, est ut humiles sint, & ambitionem omnem atque superbiam abnegent ac ponant: conditionem istam nisi servent atque impleant, ab hæreditate regni coelorum excludentur.

Uſus ad παιδίαν.

Volumus ergo regnum coelorum possidere? Dies ac noctes illud Christi cogitemus: *Nisi* vos converteritis & statim ut pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum coelorum. Quantum valeat vox illa *Nisi*, probè intellexit Juda, filius Jacobi Patriarchæ, à patre ad Josephum, tunc incognitū, pro annonā mittendus. Ita enim piūm fēnem alloquutus est: *Serio contestatus est nos vir ille dicendo, non estis visuri faciem meam, NISI frater vester adfuerit vobiscum.* Omne ergo movit lapidem, ut adduceret Benjaminem. Ita enim perrexit dicere: *Si missurus es fratrem nostrum nobiscum, descendemus & comparabimus tibi cibarium. Quid si non missurus es, non descendemus; nam vir ille dixit nobis, non estis visuri faciem meam, NISI frater vester adfuerit vobiscum.* Gen. 43. vers. 3. 4. 5. Nimisrum Juda & fratres ejus nisu vehemen-

tiid

ti id unicè agunt, ut fratrem Benjaminem itineris socium naucti, quæ ad vitæ temporalis conservationem necessaria sunt, facilius à Iosepho impetrant: Et nos omni non admitterem opere, ut animi submissione induiti atque ornati, Dei faciem cernamus, & coelesti hæreditate fruamur? Dicebat David de filio degenere Absolomo: *Faciem meam ne videto.* Hic quid non faciebat, ut videret? 2. Sam. 14. v. 25. & seqq. Quum Christus ad Petrum diceret: *Nisi laverore te, nihil tecum habebis commune;* Petrus actutum respondit: *Domine, non solum pedes meos, sed etiam manus & caput.* Ioan. 13. 8. 9. Sic & nos: ut cœlum ingredi liceat, superbiâ abnegatâ, humilitati studeamus. Ac quia hoc durum carni, *corpus* seu veterem hominem spiritui reluctantem, contundamus, & in servitutem redigamus, ac firmo corde proposito contra ambitionem pugnemus. 1. Cor. 9. 27. In primis verò Deum serio in auxilium vocemus, ut cordis ferociam subigat, quod robustæ Dei manu submittere possumus. 1. Petr. 5. 6. Id nisi fiat, hæreditatem regni coelorum polliceri nobis non possumus. Sæpe pij, desfixis oculis intuentes in superborum splendorem, apparatus, amplissimas clientelas, pompamque in vestitu, epulis, ædificiis, comitatū, equitatu, usque ed in admirationem eorum attolluntur, ut illos terque quaterque beatos judicent, & se illis similes & conformes fieri penè exoptent. Sed turpiter falluntur. Ut cunque enim superbi in hominum oculis gloriose appareant, coram Deo tamen pejus cadavere fætent: tantoque magis ei abominationi sunt, quanto magis his, quæ dixi, superbiæ irritamentis circumfluunt. Homines simplices & imperiti superbos ita undique munitos, ac amiciiis & clientelis circumseptos putant, ut prosperâ suâ conditione excidere nequeant. Ipsi quoque superbis tam altè in sua illa forte radicatos & fundatos esse sibi persuadent, ut nullâ machinâ inde exturbari possint. *Altissimè absunt iudicia*

judicia Dei à conspectu eorum; ideoque dicunt cum animo suo, non dimovebimus; illa et atenon futuri sumus in malo. Psal. 10. 5. 6. Verum quascunque copias habeant, & quibuscunque amicis ac clientelis communiti sint; nunquam animi sui superbiā impunē laturi sunt. Nam Deus solus omnes eorum copias & clientelas, & uno digitulo omnes manus, quibus sustentantur, dissipare novit. Prophetam adeamus & audiamus: *Oculis, inquit, altis homo demittetur, & depremetur altitudo hominum: editusque erit Iehova die illa.* Quum dies Iehova exercituum erit contra omnem superbū & celsū, & contra omnem elatum, ut demittatur: & contra omnes cedros Libani celsissimis, & elatissimas, & contra omnia robora Baschanis, & contra omnes montes celsissimos, & contra omnem murum munitum, & contra omnes naves Oceanī, & contra omnes colles elatissimos, & contra omnem turrim altam, & contra omnes imagines desideratissimas. Tunc depremetur altus homo, & demittetur celsitudo hominum, editusque erit Iehova solus die illa. Esai. 2. 11 — 17. Huc etiam spectant illa Salomonis: *Abo- minationi est Iehovae omnis altus animo: conjunctis operis non con- sequitur impunitatem.* Prov. 16. 5. Hinc apertissimè colligimus, quantam vim & ἐμφάσιν habeat conjunctio, *Nisi, ad excitandos hominum animos ad amorem & studium humilitatis, ac odium atque fugam superbiae & ambitionis.* Sed idem, proh dolor! Christo cum hominibus sit, quod Bohazo cum propinquo suo. Propinquus iste agrum ab Elime loco relictum, jure propinquitatis vindicaturus erat: at ubi conditionis de ducenda Rutha audiebat mentionem, ju re suo cessit. Ruth. 4. Et coelestem hæreditatem nemo non est qui adire cupiat: interim plerique humilitati stu dere nolunt, & superbiae renunciare.

4. Denique ut fortius moveat Christus, & ambitionis omnem spem regni cælorum occupandi præcidat, duplicitur negatione, & μη q. d. *non non, h. e. nequaquam ingre-*
diem.

dīemini in regnum cælorum. Gemina negatio fortius & efficacius negat. Nimirum totus in eo est Christus, ut ab ambitione suos dehortetur atque avocet: ideoque omnis generis persuasoriis rationibus & assertionibus utitur; *dicit:* *juramento confirmat: conditionem maximè necessariam apponit: denique, ut arctius & vehementius stringat, bis negat, quemadmodū si quis, non contentus simpliciter quid alicui negasse, ingeminaret illud: non faciam, non faciam.* Utique hīc palam facit, roto se animo ab ista re abhorrente. Exempli gratiā: David significatus tūm affectus ardorem, quo se omni dignitate, meritis omnibus exuit, tūm solā se Dei gratuitā misericordiā niti, nec quicquam nisi Dei gloriam spectare, ingeminat illud: *Non nobis, Iehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.* Ps. 115. 1. Adjungo Catulli illud, Epigr. 14. *Non, non hoc tibi, false, sic abibit.*

Uſus ad traidētār.

Quum Christus nos tām seriō, tantāque verborum multiplicatione atque iteratione à superbia avocet, monitis ipsius fidem adhibeamus ac pareamus. Satis ad persuadendum fuisset, semel hoc Christum dixisse: sed quum surdiōres nos simus, vel saltem tardiores ad auscultandum, fāpē nobis aurem vellicat, ac identidem eadem repetit. Ita de se Paulus: *Eadem scribere vobis, me quidem haud piget, vo- bis autem tutum est.* Philip. 3. v. 1. Ergo socratiā excussā, sceleres simus ad audiendum. Iac. 1. 19. Ac quum Christo molestum non sit, iterum atque iterum nos hac de re, quō cautiōres simus & studiosiores, commonefacere: nobis multo minus molestū sit, quod monet iterum atque iterum audire, memorique mente retinere. Simulac Deus terræ & arboribus mandat, ut vim sibi inditam exerant, dicto con-

festim sunt audientes, ac fructus in species suas edunt. In de Psaltes : *Deo, inquit, emitte sermonem suum in terram, quād celerrimē excurrit verbum ejus.* Psal. 147. v. 15. Quid nos ad imaginem Dei creati, ratione prædicti, à Christo redempti, & in spem vivam melioris vitæ regeniti, patulis auribus promptisque cordibus Dei iussa exciperemus, & executioni mox mandaremus? Qui salutem desiderat, verbum salutis celeriter audiat : qui se Dei filium esse credit, libenter Patrem suum cœlestem in Scripturis & ministerio Ecclesiæ loquentem audiat : quicunque se portionem primi tiarum Dei esse putat, se auresque suas Deo offerat & consecrat. Auris bona est, quæ libenter atque velociter Deum audit : Auditor bonus est, qui celer est ad audiendum, sapiens ad intelligendum, & paratus ad faciendum: qui audienda audit, credenda credit, facienda facit. Cibus mentis, est sermo veritatis: qui autem esuriunt, cibum sibi propositum libenter capiunt. Verbum Dei est candela accensa: qui tenebras fugiunt & horrent, ac lucem amant, candalam amant, proutèque ad eam accedunt. Deus se nobis liberaliter offert, ad docendum velox ac paratus est : nos igitur illi dociles præbeamus, & ad audiendum veloces sumus atque impigri. Ac sanè gravissima sunt argumenta, quibus ad studium humilitatis erga Deum meritò excitari debemus. Ob oculos nobis statuamus sanctissimam & verendam Dei majestatem, infinitamque potentiam. Hac consideratione motus Jobus (qui impatientiâ victus, in Deum insurrexerat & murmurârat) modestè se Deo submisit. Quum enim Jehova ei dixisset : *An is qui contendit cum Omnipotente, erudit eum? Qui increpat Deum, respondeat ad istud.* Itaque respondens Jobus Iehovæ, dixit : *En vili sum: quid responderem tibi? Manum meam appono ad os meum. Semel loquutus sum, sed non respondebo amplius: aut iterum, sed non pergam.* Job. 39. 35.—38. Eodem argumento Paulus os obstruit

struit arrogantibus & inquis divinorum judiciorum ac prædestinationis hominum censoribus: *Imò verò, ô homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicet figuratum factori, Cur mente fecisti? Annon habet potestatem figulus in lutum, ut ex eadem massa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus?* Rom. 9. 20 21. Hoc consilio Petrus, humilitatis præco indefessus, unicè inculcat illud : *Submittite vos robustæ manu Dei.* 1. Epist. 5. vers. 6. Neminem animi submissio in contemptum adducit, quum Deus cujus nomine se submittit, & qui omnia sapientissimè administrat, humiles in altum evehat, ubi illi fuerit opportunum. Adhæc humilitatis incentivum est acris & attenta cogitatio naturæ & salutarium effectuum nobilissimæ hujus virtutis. Quid glorioius, quam esse domum vel templum Dei viventis? Atqui humilitas animam hominis aptam reddit, ut fiat Dei habitaculum: *I estis ipse Deus: Vbinam effet domus quam adificaretis mihi? & ubinam locus quietis meæ?* In hunc intueor, in pauperem & contritum spiritu, ac trepidantem ad verbum meum. Esai. 66. 1. 2. Pauperes spiritu & contriti, Dei sunt templum & sedes, de quibus alibi : *Habitabo in eis. & inambulabo: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* 2. Cor. 6. 16. Quid jucundius & salutarius, quam si quis gratum & bonæ fragrantiaæ sacrificium Deo offerre queat? At Davidis sunt ista: *Sacrificia Dei sunt spiritus fractus: animum fractum & contritum, ô Deus, non spernus.* Psal. 51. 19. Ecquid dulcius, honestius & utilius vera sapientia? Est illa vitæ magistra, animi medicina, lumen cordis, viaticum certissimum, thesaurus pretiosissimus, felicitatis & libertatis origo, omniumque virtutum regina. Ubi verò illa reperitur? Diserte Salomon: *Apud modestos est sapientia:* Prov. 11. 2. Atque huc vergit pium isthio Pauli monitum: *Per gratiam que mihi data est, edico cuivis versanti inter vos, ne supra modum sapiat ultra quam oportet sapere: sed sapiat ad sobrietatem, prout cuique Deus.*

Deus partitus est mensuram fidei. Rom. 12. 3. Quid multis? Humilitas omnium aliarum virtutum est mater, & singulare animæ ornamentum. Paulus claimat: *Indumenti animi submissione.* Col. 3. 12. Petras suclamat: *Submissione animi estote iusti ornati.* 1. Petr. 5. v. 5. Humilitate comite, continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & iustitia purgatior, & verior misericordiae fructus, & resipiscientia tunc maximè commendabilis est, quando cum humilitate conjugata est. Quasi via quædam est humilitas, & finis, & quodcumque vel esse vel cogitari possit fulcrum, accuratumque præsidium bonorum omnium, virtutumque terminus & requies, & portus salutaris, & locus tutus, ultrà quem progredi longius minimè fas est: sed viatores hinc firmiter insistentes, ipse reconditorum sibi præmiorum sese oblectant. Non tam vestimenta ornant corpus, quam humilitas animam. Vestimenta veterascunt, & à tineis vorantur. Humilitas semper splendet, & quod diutius colitur, eo amplius hominem ornat. Vestimentis destitutus, turpis appareat in oculis hominum; humilitate vacuus, in oculis Dei, Angelorum, & piorum. Tanto quisque vilior Deo, quanto pretiosor sibi. Superbia venenum & dehonestamentum est omnium virtutum & rectè factorum. Verè ut dixerit Hipponeus Præf: *Magis placet Deo humilitas in malis factis, quam superbia in bonis.* August. in Psal. 93. *Quisquis cæteras virtutes sine humilitate congregat, quasi paleas in ventum portat.* Ab hac causa Deus judicavit, latius esse sanctissimum suum Apostolum ab angelo Satan colaphis cœdi, quam virtus superbie inflari. 2. Cor. 12. 7. Porro vehementer homines ad animi submissionem excitant promissiones, à Deo humilibus factæ. *In pauperes & contritos spiritu Iehovæ intuetur.* Elai. 66. 2. At in lucida & gratiosa Dei facie, salus est. *Deus submissis dat gratiam.* Jac. 4. 6. Dei gratia locupletissimus & inexhaustus piorum est

thesaurus. Deus humiles extollit, vers. 10. Quos autem Deus extollit, verè gloriosi sunt. Salomon præmia humilitatis fasciculo hoc complectitur: *Premium demissionis animi cum reverentia Iehovæ; sunt divitiae, & honor, & vita.* Prov. 22. 4. Amplissima & opima præmia sunt *divitiae, honor, & vita,* ex quibus singula seorsim magno studio, & summa contentione, maximisque vigiliis quæruntur. Brevissimum compendium hæc omnia assequendi, Spiritu sancto indice atque judice, est humilitas. Humano judicio, quisubmiso est animo, omnibus hisce commodis vel maximè privandus videtur: utpote qui ob animi demissionem ab omnibus diripiatur & calcetur. Contrà ambitiosos, arrogantes, & superbos facilimè divitias, honorem & vitam acquirere, mundi filij existimant. Alter Dei Spiritus: hic submissis animo adjudicat divitias, honorem, & vitam. Et sanè hos Deus benedictione *divitiarum* ornat. Quemadmodum enim valles, aquarum ex montibus decursu fæcundantur: Sicut humiles benedictione Dei, quæ una divites reddere potest, locupletantur. Hujus exemplum extat in Abrahamo, qui postquam singulari animi submissione Loto cœssisset, & optionem dedisset, ut, quam illi partem agri adliberet, eligeret; illico promissionem latifundij, & amplissimæ hereditatis accepit: Gen. 13. 14. & seqq. quum Lotus, arrogantiae suæ mercedem, omnium jacturam passus sit. Ibid. cap. 14. *Honorem porrò haberi his, qui animo sunt humili & submissi,* declarat proverbium saepius decantatum: *Qui cumque sese deprimit, extolleatur:* sicut contrà: *Qui se extollit, deprimetur.* Cui consonat Salomonicum illud: *Ante confratrem attollit se animus viri: anteit verè honorem abjectio.* Prov. 18. v. 12. Denique *vita humilibus promittitur, non tantum temporalis, quam in pace transfigunt:* sed in primis æternæ. Hinc Servator: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5. 3. Praeterea absque animi

nimi demissione nec Deus quæri & inveniri, nec ira ejus à nobis averti potest. Perspicue Tzephanias Propheta: *Querite Iehovam omnes humiles terra, qui iudicium ejus operati estis: querite justitiam, querite humilitatem, forte abscondimenti vos in die furoris Iehovæ.* cap. 2. v. 3. De Rechabhamo & principibus Israelis, qui peccatis suis Deum provocârant, & resipuerant, scriptum extat: *Tunc deprimentes se principes Israëlis & Rex, dixerunt: Iustus est Iehova. Quos quum videret Iehova seipso depresso, fuit verbum Iehovæ ad Sohemahjam dicens, depresso non perdam eos: sed praestabo eis maxime liberationem, neque effundetur excandescens mea super Ierusalem per Schisclakum.* 2. Chron. 12. 6. 7. Eos amanter Deus complectitur, qui se sub potentiam ejus submittunt: *Oculos verè elatos deficit.* Psal. 18. vers. 28. Leo animal generosum, nisi tame urgeatur, prostratis dicitur parcere, quod ingentis animi esse declarant illa verba Poëtæ:

Quo quisque est major, magis est placabilis iræ,

Et faciles motus mens generosa capit.

Si hæc igitur placabilitas veræ nobilitatis est nota, quid illa infinita faciet maiestas, ubi se homo supplex coram illâ demiserit? Nimirum, *Sublimis & elatus cum eo qui attritus est demissusque spiritu habitabit, ut vivum conservet spiritum defissorum, & vivum conservet animum contritorum.* Esai. 57. vers. 19.

II. Atrocityatem effectus noxii ambitionis atque superbiae Christus hisce verbis exprimit: *Nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum. Regnum cœlorum* hîc non lumen eo sensu, quod Apostoli pro regno terreno à Christo instituendo, intellexerant: sed notat cœlum cœlorum, coelestemq; gloriæ & felicitatem. Vocatur autem *regnum cœlorum*, quia in cœlis illud electis Dei haeredibus & Christi cohæredibus paratum est. *Regni* hujus Rex est sacrosancta Trinitas, Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Unde Deus cœli ab Abraham appellatur.

appellatur. Gen. 24. 3. Et *cælum thronus* Dei dicitur Matth. 5. 34. David canit: *Ipsi cœli, cœli sunt Iehovæ.* Psal. 115. 16. Assessores, aulici, & locii Regis regum sunt tūm Angeli electi, qui *cœlestes exercitus*, i. Reg. 22. 19. *principatus, potestates, dominationes*, Eph. 1. 21. nuncupantur: tūm beati homines, quos *regum nomine* Deus dignatur, Apoc. 1. 6. & quos Christus in regni sui societatem recipit, dicens: *Ego pacifor vobis, prout pactus est mihi Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis in mensa mea in regno meo, & sedeatis super thrones, judicantes duodecim tribus Israël.* Luc. 22. 29. 30. Lex regni istius est charitas, que nunquam excedit. 1. Cor. 13. 8. Opera & exercitia regnicolarum, sunt Dei Trin-Unius laudatio & celebratio. Gloria eorum in glorioso Dei aspectu sita est. Privilegia, sunt immunitas à peccato, miseriâ, morte, hostibus omnibus. In hoc regnum non ingredientur ambitiosi. Humilitas regia est via, quâ ad Deum itur atque pervenitur. Qui viam istam non calcant, regni cœlorum hæreditatem non accipiunt. Istud autem probè hîc observandum, non dicere Christum, Non eritis maximi in regno cœlorum: quod tolerabilius fuisset. David limen in domo Dei sui frequentare elegit. Psal. 84. 11. Sed Servator ait: Non ingrediemini in regnum cœlorum. q. d. Si tales, uti cœpistis, esse perrexeritis, & ad puerolorum similitudinem redire nolueritis, atque ab hac perversa vestra regnandi cupiditate ad veram animi submissionem converti, tām abest, ut maximi fitis futuri in regno cœlorum, ut ne ullam quidem portio nem, imò ne aditum quidem fitis habituri ad regnum cœlorum. Tolerabile esset, si excluderet à vili quodam consortio: verū excludi à regno cœlorum, in quo sola vita est ac sempiterna felicitas, id denum conscientiæ non prorsus impia durissimum est & horrore plenissimum. Diceret saltem, Difficulter introibitis in regnum cœlorum: quod de divitibus ait. Matth. 19. 23. vel, metuendum ne non fitis

ingressuri, non omnem spem ingressus incideret. At dicens, *Nequaque *ingrediemini**; prorsus omnem intrandi spem amputat, nisi conversi efficiamur ut pueruli. Nempe hoc ingenii Deus habet, ut quamvis elati animi superbiam execretur, & vicissim humilitatem contritae mentis complectatur. Inde est illud Christi: *Quod apud homines sublimè est, abominatio est in conspectu Dei.* LUC. 16. 15. Hoc animo Deum præditum esse, latis fuerit certò scire. Quare verò talis sit nihil opus est scrutari. Si tamen causam vis nosse, eam facile datus. *Deus gloriam suam alteri non vult dare:* Esaï. 42. 8. nec pati ut virtutum & dotium, quæ in nobis sunt, laudem, vel minimā particulā, ad nos avertamus. At superbis sibi tribuit, horrendo sacrilegio, quæ Dei sunt, & Deo laudem suffūratur. Deus fortis zelotes hoc ferre non potest: quemadmodum vir æmulus concitatur, anorem & benevolentiam sibi soli debitam, aliò videns aut suspicans ab uxore conferri, & cum aliis connumerari.

Ulus ad παιδείαν.

Quicunque ergo regno cœlorum non volunt excludi, nec æternū perire, superbiam abnegent. Stat enim illud Mariae: *Deus detrahit potentes è thronis, & extulit humiles.* LUC. 1. V. 52. Quicumque se extollit, deprimetur. Haud ignotum id ipsis Gentibus. Chilonem ferunt interrogasse Æsopum, quidnā faceret Iuppiter? eumque respondeisse: *Excelsa humiliat, & humilia extollit.* Laert. libr. 1. Cui congruenter Plato, qui suo seculo omnium mortalium sapientissimus fuit habitus, libr. de Legib⁹: *Qui superbia elatus est, quod honoribus antecellat, vel corporis formā polleat, quia cum juvenilis animus dementia simul ardeat & petulantia, quasi ne princeps nesciō deuce ullo indigeat, sed aliorum ipse sufficiens du-*

stor

stor fit, is penitus à Deo deseritur. Nec aliter Xenophon, Philosophus Atheniensis: *Deo, uti quidem videtur, volupte est eos qui parvi sunt, magnos; qui magni sunt, parvos facere.* Libr. 6. Histor. Græc. Videamus juncos & virgulta, quæ facilè flectuntur, & vento feso submitunt, coortâ tempestate permanere firma atque infracta: magnas verè arbores, quantumvis robustæ & stabiles videantur, turbinis impetu plerumque frangi, quassari & eradicari cernimus: Ita nemo apud Dei tribunal perit, damnatur & destruitur, nisi qui superbè se extollit, obfirmatèque suam virtutem & propriam iustitiam obtendit. Est enim instar fulminis, quod vim suam non nisi in res oppositas & reluctantēs exerit: sed adversus tumulum, falcam laneum, aut aliud quid cedens & molle iectus ejus statim retunditur & languescit. Et sic Apostolus: *Deus superbis obficit, submissis autem dat gratiam.* I. Petr. 5. vers. 5. Quid de mendico statueremus, qui quum ne unum quidem indusum haberet, se tamen opulentissimum jactaret, nec in conventu primam sedem detrectaret: annon hunc nebulae flagris dignum judicaremus? Si quis etiam reus & convictus criminis, in impudenteria tamen persisteret, neque se apud judicem demittere neveniam orare dignaretur, nonne dignus esset quicunq; jure summo ageretur? Sic itaque si homo inopiā, ignorantia, & virtutis dissimulatis, se divitē, doctum & virtute præditū credit, & hoc nomine in Dei conspectu gloriatur, ipse se indignū reddit Dei misericordiā, cuius aliquatenus capax esset, si cū humili miserias suæ confessione opem ejus imploraret: adeoque suā culpā coelo exclusus, in pñnas infernales ruit. Hujus rei insigne extat exemplū in Pharisæo illo & Publicano: quorum hic justior Deoq; acceptior, peccata confessus, quam ille, iustitiā suā prædicatā, pronunciatur. LUC. 18. 14. Homo enim humilitate facit, ut Deus delictorum ipsius obliviscatur, nec ea plectat: quemadmodum contrā superbiam efficit.

efficit, ut, si qua sunt ejus bona opera, ea idem Deus negligat, nec remuneretur. Licet, si propriè loquamur, ubi nulla humilitas, ibidem nulla sit fides: ubi nulla fides, ibi nec virtus ulla, eo nomine digna, reperiatur. Crescente superbiâ, crescunt ignominia & poenæ, decrescit Dei benedictio. Semper à virtute & veritate aliena est superbia: neque ipsa solum peccatum est maximum, sed omnis peccati principium. Origo, inquam, est omnium criminum, & ruina cunctarum virtutum, ipsa in peccato prima, & in conflictu postrema est, adeoque sentina quædam & colluvies vitiorum, & radix omnis mali, quæ bonis infidiatur operibus, & fidei maximè resistit, quæque à Deo hominem separat. Quo fit, ut pro felicitate eam tandem excipiat infelicitas, & insolentiam æterna sequatur ignominia. His cognatum est Senecæ illud dictum symbolicum: *Felix se erigendo, felicitatem amittit.* Omnis superbia tantum in imo jacet, quantum in altum se erigit, tantoque profundiùs labitur, quanto excelsius elevatur. Qui per propriam superbiam attollitur, per Dei iustitiam inclinatur. Superbia de superis ad ima præcipitat: humilitas ab iniis ad alta levat. In caelo nata est superbia, sed velut immemo'r, quâ viâ inde cedidit, illuc postea redire non potuit. Ecquis servum in domo suâ ferret, qui, hero spreto, omnia sibi ejus bona vèndicaret? Quis subditum in regno, qui se domino ac regi, à quo omnia quæ habet, accepit, nihil debere pronunciaret? Et Deus in cœlum eum admitteret, qui gloriæ ipsius derogat? Fatuus & infidelis est servus, qui de bonis domini sui vult superbire. Diabolus propter superbiam ex regno cœlesti expulsus est. *Qui propter splendorem Lucifer, propter superbiam Caligo & factus & dictus est.* Nazianz. in Natalem Salvatoris. Sic Bernardus Serm. 22. In Cantic. *Angeli superbiae lapsu irremediabiliter corruentes, redimi deinceps non merentur.* O miseri-

mos,

mos, qui quum in cœlesti gloriâ nondum fuerint, per superbiæ viam ed contendunt! Quid causæ est, cur Adamus, quem tantâ pulchritudine, tot tantisque dotibus creatum Deus nobilitârat, plures collaturus in ipsius obedientia perseveranti: cur, inquam, is cum suis posteris in tot ac tanta infortunia incidit, & omnibus tûm corporis tûm animi dotibus, quibus abundabat, privatus fuit? Nonne hoc perditio ambitionis vitio impulsus, nec suâ conditione, nec principatu, & in omnia terrena imperio contentus, feso Deo æqualem esse concupivit, ac propterea, Deo nimis hanc audaciam, tanquam fædâm ingratitudinem indignè, & meritò quidem ferente, quam ad altissima contendit, tâm in infima deturbatus est? Et tu ad cœlestem paradisum per superbiæ viam pervenire cupis? Quamobrem Cainus, natu major Adami filius, in quo ille & Eva principiò suam spem omnem posuerant, quod hunc esse semen illud, ad conterendum serpentis caput & potentiam promissum, crederent: cur tantum odium & invidiam adversus fratrem concepit, ut, quo illi satisfaceret, parricidium suscipere auderet, nec judicii divini, nec consanguinitatis, nec parentum offenditionis, nec ignominiae æternæ, nec poenæ tanto sceleri debitæ ac paratæ cogitatione averteretur, præsertim quum exemplo esset pater, qui paulo antè horto illo amænissimo ejectus fuerat, & à præsentia & gratia divina, proinde à vera & solida felicitate procul amandatus, quod Dei imperiū violasset, ac delictū multo in speciem eo, quod moliebatur, levius, admisisset? Cur postea, objurgatus à Deo, tantulâ poenitentiâ ductus est? Cur tantulum excommunicatio, & paterni confortii ac præsentia divinae privatio ipsi doluit, nisi quod ita ob primogenitum tumaret atque arrogans esset, ut nulla in re sibi fratrem anteponi posset? Itaque maledixit & rejicit illum Deus, magis ferociam ejus & arrogantiam, quam vel parricidium il-

ludi

Iud, maximè tamen execrandum, & nefarium, detestatus. Gen. 4. Core, Dathan & Abirom, cum suâ cohorte, postquam stultâ arrogantiâ sese Mosî æquassent, nónne hiatu terræ vivi absorpti sunt in oculis universi populi? Num. 16. 33. Væ verò iis qui regno coelorum exclusi, in infernum a mandantur! Tenebrarum hoc regnum est: in quo rex, Diabolus, socii, damnati omnes, cibus & potus, miseriae nunquam finiendæ. Ita enim Prophetarum Veteris Testamenti Ocellus: *Vermis damnatorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, eruntque naufragi omni carni.* Esai. 66. 24. Dirum supplicium. Vermes in vivo corpore enati dies noctesque hominem rodunt, & diris mirisque modis excruciant; ut videre est in Antiocho Epiphane, 2. Maccab. 9. 9. & Herode, Act. 12. 23. Ita damnatos sine intermissione arrosurus est *vermis conscientiae*. Atqui *inter omnes tribulationes humanae animæ nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum*: quemadmodum Augustinus, gemma priscorum Patrū, & Antistitum sidus, experientiæ convenientissimè dixit, in Psal. 45. Grande supplicium est patri, si filij suppicio capitali debeat interesse spectator: sed multo majus est, si ipse pater cogatur esse carnifex: longè maximum, si patibulum, cui filius suffixus, ante ædes statuatur, quotidie aspiciendum. At hæc omnia, & ludicra, & nulla sunt, ad illud supplicij genus, cum suus ipse carnifex est reus, cum seipsum dentibus commordet, dilaniat, laceratque morsibus conscientiae perpetuis. Dum hic vivunt impij, hoc conscientię macellū suas habet ferias: subinde hos oblatrantis conscientię morsus nonnihil distinent, aut arte fallaci eludunt, aut certè deliniunt nunc legendo, nunc laborando, nunc colloquendo, modò hilarius comedendo, modò hoc illuc commigrando, & saltē dormiendo hos angores fallunt. At verò in illa Crudelitatis arce, in regno Diaboli, nulla quietis intervalla, interspirationes nullæ, non somnus

somnus, non quies, nulla lectio, nullæ comedationes, consolatione nulla, dies noctesque conscientiae vipera laniatum undique pectus perrodet. Torquebit autem illos æternæ noctis inquilinos conscientia, tūm ob amissionem æternæ gloriae: obseratum est coelum, obseratus est tartarus, nullus hinc transitus illuc: actum est, epulum coeleste neglectū est negligenti irreparabilis: spes nulla beatitudinis: vermen qui damnatos rodere coepit, non excutient à se amplius. tūm ob virtutis neglectum & peccatorum cumulum: omnia ordine conscientia velut è syllabo recitat, quæ perperam facta, quæ socorditer omissa. tūm denique ob aspernationem divinæ gratiæ. Adhæc ut nulli exquisitiores crucifixus cogitari possunt ab homine, quām ustulationis. *Ignis suppliciorum ultimum.* Curt. lib. 6. cap. 12. Ita nullæ cruciabiliores poenæ, quām impiorum apud inferos. *Ignis eorum non extinguetur.* Ira Dei ignem æternæ damnationis perpetuò, instar sulphurei torrentis, succendet. Verba Christi judicis planissima sunt & apertissima: *Exsiccari, abite à me in ignem æternum.* Matth. 25. 41. Hoc ignis æterni supplicium tām succinctè quām nervose Prosper cogitandum subjicit, libr. 3. De vita contempl. cap. 12. Verba ipsius cedro digna, hæc sunt: *Continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animas, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt.* Quos ideo fibi deputatos *ignis inextinguibilis non extinguit, ut permanente sentiendi vitâ, pœna permaneat, & ad dolendum magis, quām ad vivendum æternis corporibus compeditos habeat, quos in flammis vivacibus immortalitas secundæ mortis occidat.* Quemadmodum nullum est apud nos supplicium, quod igne acriùs torqueat: Sic nullum est quod citius torquere definat, & consumat. Verùm ignis infernalis & acutissimè cruciat, & cruciare nunquā cessat. Ipsum Deū audite: *Ignis accendit in ira mea, qui usque in seculum inflammabitur.* Jer. 17. 4. Pulvis tormenta-

mentarius, quo æternus ignis succenditur, est ira Dei. Deinde ut ignominia civilis gravissima est: Ita gravissimum longè erit, expositum esse opprobriis beatorum hominum, ipsique Deo esse abominationi. Ad eusmodi verò *opprobria & contemptum æternum expurgiscentur* impii. Dan. 12. 2. Tum autem rectius infernali poenarum percipimus gravitatem, ubi earum cogitamus æternitatem. Est in inferno flamma furens, & sine fine perurens. Vita damnatorum est sine fine mori: mors eorum est in æternis poenis vivere. Nec, qui torquet, fatigatur; nec, qui torquetur, aliquando moritur. Sic ignis ibi consumit, ut tamen semper refervet: sic tormenta ibi augentur, ut tamen semper renoveruntur. Sine ullo unquam sine aliquem torquendum esse, id vero ultrà omnes desperationis fertur terminos. Quid enim gravius, quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit. In æternū damnati non assentur, quod volunt: & quod nolunt, in æternū pati cogentur. Æternitas ultra omnem modum supplicia damnatorum exaggerat. Gravis est damnatorū poena, propter suppliciorum acerbitatem; gravior est, propter suppliciorum diversitatem; gravissima, propter suppliciorum æternitatem. Mors erit ibi sine morte; finis erit sine fine; defectus sine defectu, quia mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Quærent damnati vitā, & non inveniēt: querent mortē, & mors fugiet ab eis. Quid tristius ac miseriū, quam ita mori, ut semper vivas: ita vivere, ut semper moriaris? Overò felicissimos humiles, qui in regnū cœlorum ingrediuntur! Tām magna regni cœlorū sunt bona atq; privilegia, ut mēsurari non possint; tām multa, ut numerari nequeant; tām pretiosa, nemo ut ea estimare queat. Erit ibi corporum æterna sanitas, erit animorum summa puritas, erit gloriæ & voluptatis diuinæ libertas, erit perpetua Angelorum & sanctorum familiaritas, erit stupenda corporum claritas. Gau-

debunt

debunt electi propter loci amēnitatem, quem possidebunt, propter jucundam societatem, in qua regnabunt, propter corporis glorificationē, quam habebunt; propter mundum, quem contemserunt; propter infernum, quem evaserunt. Erit ibi vita sine morte, lœtitia sine tristitia, lux sine tenebris, gloria sine ignominia, exaltatio sine depressione, regnum sine perturbatione, pax sine bello, justitia sine peccato. Neque in regnum tantum cœlorum ingressuri sunt demissi animo; sed & *reges ipsi futuri*, quippe honore & gloriâ æternâ à Christo regum Rege coronandi, & æternum cum ipse regnum obtenturi. Apoc. 1. 6. Sanctissima Trinitas erit perfectio desideriorum nostrorum, quam sine fine videbimus, sive fastidio amabimus, sine defatigatione laudabimus. Deum videre, superabit omnia gaudia. Christum videre, cum Christo vivere, Christum audire, cum Christo regnare, superabit omnia cordis nostri desideria. Vita æterna est visio Dei sine defectu, & amor sine fastidio. Verbo dicāt: Quod Deus præparavit diligentibus ipsum, fide non capit, spe non attingitur, charitate non apprehenditur, desideria & vota transgreditur, verbis non enunciatur: acquiri potest, comprehendi & enunciari non potest. Quemadmodum summum adjectionem non recipit: (ecquid enim supra summum?) ita ne beata quidem vita, quæ sine summo bono non est. Verè non nemo: *Iustorum vita palma comparatur, quia palma inferiū tacta aspera est, & quasi aridis corticibus obvoluta, superiū verò visu & fructibus pulchra: inferius corticum suorum involutionibus angustatur, sed superiorius amplitudine pulchræ viriditatis expandit: Sic etiam electorum vita, despacta inferius, superiorius pulchra: in imo quasi multis corticibus obvolvitur, dum innumeris tribulationibus angustatur: in summo verò illa quasi pulchræ viriditatis foliis amplitudine retributionis expanditur.*

II. E F F E C T U S U T P L I S.

Ecquod verò humilitatis præmium? Dulcissimè Christus: *Quisquis, ait, demiserit sese, sicut puerulus iste, is est maximus ille in regno cœlorum.* vers. 4. Duo hic nota: 1. Quibus Christus præmium polliceatur? Nimirum his qui sese demittunt, sicut puerulus. Demittunt autem sese, qui verissimam & intimam sui agnitione sibi ipsis vilescant, omnisque propriæ virtutis, sapientiæ & justitiæ fiduciâ. exinaniti, se coram Deo prosternunt, ac in eo solo omnia bona per Christum quærunt. Isthaec demissio. *Sui ipsius circa duo objecta versatur, Deum & homines.* Demissio coram Deo est verus timor Dei, ex agnitione nostræ infirmitatis, & bonitate Dei erga nos natus. Talis fuit Regis Manassis in carcere, qui quum genua corporis, propter carceris angustiam, & arcta chalybea vincula, quibus constrictus erat, flectere non posset, flexit genua cordis. Orat. Manass. vers. 11. Ita Abraham sese demisit, quando se pulverem & cinerem fassus est. Gen. 18. v. 27. Demissio vera coram hominibus est sincera dilectio, quā nos nemini superbè præferimus, sed omnibus nos sincerè accommodamus. Hujus demissionis exemplum maximum in Filio Dei habemus, qui quum omnium Dominus esset, omnium servus factus est. Hinc Paulus: *Is sit affectus in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui quum esset in forma Dei, non duxit esse rapinam, parem esse cum Deo: sed ipse sese inanivit, formam servi accepta, similis hominibus factus.* Philip. 2. §. 6. 7. Et paulò antè dixerat: *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam, sed ex animi submissione alijs alios existimant sibi præcellere.* Ibid. vers. 3. Hæc demissio, non tam in verbis, gestibus, & factis externis (ex quibus qui judicium fert, facile decipitur) quam in animo constitit, ut quis dicere possit cum Davide: *Non superbit cor meum.*

Psal.

Psal. 131. 1. Si enim cor intus tumeat & insolenter se efferrat, demissio quæ foris se prodit, mera est simulatio. Ideo Paulus indui nos jubet *animi demissione.* Col. 3. vers. 12. Et de Christo, cuius actio vitæ nostræ est institutio, dicitur, quod humilis sit corde. Matth. 11. vers. 29. Hæc est illa spiritus paupertas, de qua Servator: *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matth. 5. vers. 3. Isthaec suis ipsius demissio propria Christianorum est nota: de qua Augustinus Epistolâ 56. ad Dioscorum: *Ne aliam tibi ad capessendam & obtinendam veritatem viam munias, quam quam munia est ab illo qui gressuum nostrorum tanquam Deus videt infirmitatem.* Ea est autem prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares, hoc dicerem: non quod alia non sint præcepta quæ dicantur; sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus & præcesserit, & comitetur, & consequatur, & proposita quam entueamur, & apposita cui adhæreamus, & imposta quā reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gentilibus totum extorquet de manu superbia. *Vitia quippe ceteræ in peccatis, superbia verò etiam in rectè factis timenda est, ne illa quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Itaque sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenem intelligit) cum interrogatus esset, quid ei primun videretur in eloquentiæ præceptis observari oportere; Pronunciationem dicitur respondisse: cum quereretur, quid secundū; eandem pronunciationem: quid tertius; nihil aliud quam pronunciationem dixisse. Si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil me aliud respondere nisi humilitatem liberet; et si forte alia diceret necessitas cogerer. Similitudo ducta à puerulo sese demittente, suprà fusæ explicata est:

2. Præmium ipsum restat, quod his verbis Christus annunciavit: *Is est maximus ille in regno cœlorum; Maximum esse in regno cœlorum, bifariam potest intelligi.* 1. Ut idem sit quod officio maximum esse & sublimem, maximâque glo-

riâ conspicuum. Hæc interpretatio fidei est analoga. Quamvis enim omnes ac singuli beati fruituri sint æternâ gloriâ; tamen & hoc certum, gloriæ istius gradus fore. Quod cum dicimus, duo supponimus, quæ in dubium vocari non debent. Primum est, gloriam & beatitudinem objectivam unam & eamdem omnibus tribuendam; quæ est Deus. Ita enim Paulus de coelesti gloria differens: *Deus, inquit, erit omnia in omnibus*, 1. Cor. 15. v. 28. Alterum est, essentiale quoque beatitudinem unam eamdemque omnes manere, quæ in gloriosa Dei visione, plenâque eorum sanctificatione & glorificatione consistit. Omnes Deum cernemus facie ad faciem. 1. Cor. 13. vers. 12. Omnes statuemur in confpectu gloriæ Dei inculpati cum exultatione. Judæ Epist. vers. 24. Hæc pro certo habentes, statuimus diversitatem esse in gradibus hujus gloriæ & visionis claritate, pro Dei distribuentis illuminatione. Huc facit illud Apostoli: *Alius decor Solis, & alius decor Lunæ, & alius decor stellarum. stella enim stellæ præstat decor.* Ita erit & resurrectio mortuorum, quod perinde est, atque si dixisset: Gloriæ coelestis erunt gradus: sicut sunt gradus lucis in stellis. 1. Cor. 15. vers. 41. 42. De ista gloriæ piorum post hanc vitam inæqualitate intelligendum quoque est testimonium Danielis: *Doctores splendebunt quasi splendore expansi: quique justificaverint multos, quasi stellæ splendebunt in sempiterna secula.* cap. 12. vers. 3. Plures ejusdem feminis extant sacræ Scripturæ sententiæ, quibus idipsum confirmatur: ut quum Abrahamus, Isaacus & Jacobus primum in regno cœlorum locum obtinere, & reliqui beati cum illis accubituri dicuntur. Matth. 8. 11. Lazarus ab angelis in finum Abraham a sponsatus est. Luc. 16. 22. quare altiore Abrahamus loco accumbit. Et notum est speciale promissum Apostolis à Christo factum: *Amen dico vobis, vos qui sequuti estis me, in regeneratione, quum eaerit Filius hominis in throno gloriæ suæ, sedebitis vos etiam*

etiam, inquam, in thronis duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. Matth. 19. 28. Quamvis enim reliqui quoque sancti mundum judicaturi dicantur; 1. Cor. 6. 2. non tantum is ordo, & hæc proximitas eis assignatur. Ac quum Servator ait: *In domo Patris mei habitationes multæ sunt;* Joan. 14. 2. de coeli capacitatem id intelligendū vix videtur, quum de ea nemo unquam dubitâr̄it: sed de distinctis honorum gradibus in vita coelesti. Paulus ThessalonICENSES coronam suam in conspectu Domini nostri Iesu Christi in ejus adventu fore afferit; 1. Thess. 2. 19. quod de omnibus beatis dici non potest: In Apocalypsi passim quatuor animalibus & viginti quatuor Senioribus distincta loca & gradus in coelesti Jerusalem tribuuntur. Rationibus quoque evidentibus diversi gloriæ coelestis gradus demonstrari possunt. Sicut justū est apud Deum, vicissim reddere iis qui affliguntur relaxationem in revelatione Domini Iesu de cælo: 2. Thess. 1. vers. 7. Ita apud eumdem justum est, iis qui multum fuerint afflicti, multum reddere relaxationis. Sic quo quisque se plus demiserit, eo altius extolleatur, clariusque gloria & honore futurus est. Quid si Deus eum qui se depresso, exaltaturus est; utique eum qui valde se depresso, valde quoque est exaltaturus; idque ex gratia. Huc & illud facit, quod Scriptura passim inculcat, *Deum unicuique secundum opera ipsius redditurum.* Rom. 2. 6. 2. Cor. 5. 10. & alibi. Nec est quod quis regerat, phrasu istam *secundum opera*, non notare præmij gradum, sed qualitatem duntaxat compensationis, h. e. malis malè, bonis bene futurum. Nam Scriptura latius gratiolas mercedem extendit. Paulū testem cito: *Qui, inquit, serit parvè, parvè etiam metet, & qui serit benignè, benignè etiam metet.* 2. Cor. 9. 6. Non est hoc tantum restringendum ad benedictiones Dei in hac vita. Est enim generalis sententia, quæ non nisi ex Dei verbo restringenda est: quod aliam quoque messem sic ferentibus promittit:

Sit eleemosyna tua in occulto: Pater autem tuus qui te aspicit in occulto, reddet tibi in propatulo. Matth. 6. vers. 4. Item: *Facite vobis amicos ex mammona injusto: ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna illa tabernacula.* Luc. 16. vers. 9. Paulus quoque messiem istam ad futuram vitam refert. Postquam enim de communicatione egisset; Gal. 6. subjicit: *Quicquid seminaverit homo, hoc & metet.* vers. 7. Et hoc quid sit, mox explicat: *Nam qui seminat carni sua, ex carne metet interitum: qui verò seminat spiritui, ex spiritu metet vitam æternam.* vers. 8: Seculum prælens, est tempus segmentis: seculum futurum, est tempus messis. Disertè Christus: *Messis consummatio seculi est.* Matth. 13. v. 39. A quo non abludit illud Pauli: *Ego plantavi, Apollos rigavit, Vnusquisq; verò suam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. 3. 6. 8. Quod objicitur: Nullam subesse causam, cur uni plus Deus retribuat quam alteri, quum præmium à Dei gratia & Christi merito unicè pendeat; facile diluitur. Neque enim hominum merita causa erunt illius inæqualitatis gloriæ, sed sola Dei gratia: ita tamen ut peræqua sit futura proportio inter præmium & illam gratiæ mensuram, quam cuique Deus in hac vita partitus est. Ut idonis suis Deus diversimodè homines accumulavit in via: ita etiam dona sua diversimodè coronabit in patria. Quod respondent, minimè hoc sequi, quum Deus, ad Ecclesiæ ædificationem, & membrorum discrimina servanda, variis spiritualibus donis varioque gradu fideles ornet: at verò in coelesti vita omnia futurum in omnibus; Haudquaquam satisfacit. 1. Quia ad decorum corporis Christi tūm quoque pertinebit, quod ait Apostolus: *Omnia hæc agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim singulis sicut vult. Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa; omnia verò illa membra corporis, quod unicū est, multa sunt, sed unum sunt corpus.* Ita & Christus sc. constitutus ex capite & membris diversæ

gloriæ & gratiæ. Nam si totum corpus oculus, ubi auditus? si totum auditus, ubi odoratus? &c. Cor. 12. II. 12. 17. Fore Deum omnia in omnibus; haud diffitemur; verum inde non sequitur, Deum omnia in omnibus æqualiter futurum. 2. Divina misericordia erga Eliam, Paulum, Petrum, alios, quos amplioribus Deus donis cumulavit, minueretur, nisi pro proportione quoque glorificarentur. Christus ait: *Omnem palmitem, qui in me fert fructum, Pater meus purgat, ut plus fructus adferat.* Ioan. 15. v. 2. An isthæc sententia non obtinebit in vita æterna? Et quid obstat, quo minus itamus, fore in coelo præmiorum differentias, quum in inferno gradus futuri sint poenarum? Disertè Christus: *Terra Sodomorum tolerabilior erit conditio in die judicij, quam Capernaumi.* Matth. 11. 24. Pilati tolerabilior, quam Iudeæ proditoris. Ioan. 19. 11. Scribis qui excedebant domus viduarum, & in speciem precibus longis utebantur, gravius judicium Christus denunciat. Luc. 20. 47. Rursus, Servus ille qui novit voluntatem Domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagiis. Luc. 12. 47. Simili aperto hoc ipsum illustrari potest. Somnus, perfugium illud omnium laborum atque solitudinum, dulcis quidem est eis, qui totum diem in otio & sine molestiis consumserunt; at dulcissimus est operariis, qui æstum diei laboris que molestiam pertulerunt: Sic licet suave & jucundum sit his qui vitam quietam hæc traduxerunt, in sinu Abrahami requiescere; longè tamen gravior atque jucundior quies illis futura est, qui in continuo mætore & catenatis miseriis vitam traxerunt. Nec est quodd quis existimet, ista graduum cœlestis gloriæ inæqualitatem invidiæ fore obnoxiam. Nam quæ quis in corpore animâve suâ non acceperit, ea in alterius corpore & anima se videre lætabitur. Charitas enim illic erit perfectissima. At non invidet charitas. 1. Cor. 13. 4. Et qui hæc invidiæ locus esse queat? Manentibus

licet gradibus, omnium tamen eadem erit beatitudo. Quemadmodum prius suaviter auditu verbi afficiuntur, sive in meditullio, sive in imo templi angulo considerint: Ita si cui vel ad limen coelestis Templi esse dabitur, nihilominus tamen solem & scutum habebit Iehovam Deum. Psal. 84. 11. 12. Si duo vasa, unum parvum & angustum, alterum magnum & amplum, in aquam injicias, utrumque ad summum impletur, quamvis unum plus altero capiat: Sic in celo Deus omnes uberrimè pinguedine domus sua explebit, & de torrente deliciarum suarum omnibus bibendum dabit. Psal. 36. v. 9. Nemo de gloriae coelestis defectu aut exiguitate conqueri poterit, licet in uno excellentiori gradu, quam in altero, illa sit manifestanda.

Nec infirmat veritatem hujus doctrinæ parabola de operariis diversis horis in vineam conductis, qui æqualem tamen omnes mercedem acceperunt. Matth. 20. 12. Nam beata immortalitas æqualis quidem est merces: sed hoc non impedit, quin aliae quoque sint gratiolæ accidentariæ accessiones. Accedit, quod parabolâ istâ Christus tantum docere voluerit, mercedem non ex merito, sed ex gratia & benevolo voluntatis divinæ affectu esse dandam. Id quod hinc manifestum evadit. 1. Quod alioquin qui plus laborarunt, murmurarent, quod in celo fieri nequit. 2. quia primi illi erant Iudæi, ultimi Gentiles: & sequeretur, pios ex Iudæis integrum diem laborantes, plus quam demarium, h. e. vitam æternam, postulare: sed & hoc audire. Subjicere hic, illustrationis gratiâ, libet duas infirmæ sententias ex Augustino. Prima extat Tractat. 67. in Iohann. Denarius ille, inquit, æqualis est omnibus, quem pars familiæ eis qui operati sunt in vinea, jubet dari omnibus, non in ea discernens qui minus & qui amplius laborarunt: quo utique denaria vita significatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quam vivendi non est diversa in æterna nitate mensura. Sed multa:

multæ mansio[n]es, diversas in una vita æterna significant mansio[n]es. Altera huic affinis sententia ibidem sic sonat: Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus caritas est, per charitatem fiet, ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse, habet cum amat in altero quod ipse non habet. Non erit itaque aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Non invidet charitas.

2. Maximum esse in regno cœlorum, idem est quod maximum esse reputatione coram Deo, maximi à Deo æstimari. Et ita revera se[re]s res habet. Qui sese demittit, à Deo extollitur: qui sibi vilissimus, Deo maximus: qui sibi displicet, Deo placet. Submissis Deus dat gratiam. 1. Petr. 5. 5. Davidem audi: *Quis est par Iehovæ Deo nostro? qui altissimè habitat: qui demississimè perspicit, in celis & in terra; erigens è pulvere tenuem, è sterquilino elevans egentem, faciendo ut confideat cum ingenuis, cum ingenuis populi sui.* Psal. 113. 5. & seqq. En ad summum & altissimum Deum, non nisi humilitate appropinquamus. Ex nihilo Deus cœlum & terram fecit: uti fuit in creatione, ita adhuc est in hominis reparatione. Creat Deus ex nihilo: recreat ex nihilo. Ut ergo particeps fias reparationis & regenerationis in hac vita, & glorificationis in altera, sis nihil in oculis tuis, h. e. nihil tibi tribuas, nihil arroges. Omnes infirmi sumus & fragiles: te autem iudica infirmorem & fragiliorem neminem. Non nocet, si omnibus te judices inferiorem: sed plurimum nocet, si vel uni te præferas. Viginti quatuor Seniores, qui totam triumphantem Ecclesiam repræsentant, coronas suas ante thronum Dei abiciunt, Apo. 4. 10. omnem & justitiam & gloriam Deo tribuentes: quid non faciat vilis peccator? Seraphim, sancti Angeli, faciem suam alis tegunt in aspectu majestatis divinæ, dantes omnem gloriam Deo, & hoc sigro publicè testantes, à sua tenuitate non posse ferri aspectum infiniti splendoris, gloriae, & majestatis Dei. Esai. 6. 2. Quid non faciat

C O N C I O T E R T I A

faciat homo tām abjecta creatura, & Creatori suo tot modis ingrata? Graviter Siracides: *Quid, inquit, maior es; ed magis te ipsum abjice, & coram Domino consequeris gloriam.* cap. 3. 19. Paulus in conscientiæ forum TE, ME, singulos vocat, dicens: *Quis te ab alijs discernit? quid autem babes quod non receperis? quod si etiam acceperisti, quid gloriari quasi non acceperis?* 1. Cor. 4. v. 7. Næ optimum hoc remedium est coercendæ arrogantiæ: primum si cogites, quo jure te eximas ex aliorum numero, quum & ipse homo sis: deinde si consideres, etiam si quid præter alias habeas, tamen hoc te non habere, nisi ex Dei liberalitate. *Quis autem sanus de alieno gloriatur, & quidem adversus Dominum, ex quo, & per quem, & in quem sunt omnia?* Rom. 11. 36. Quod pluribus & majoribus nos Deus beneficiis ornavit, ed majores ipsi gratias debemus, omnia ad ipsius gloriam referendo. Absit ut simus idololatræ, qui plagiæ nostris sacrificemus, *& retinaculo nostro suffitum faciamus.* Habb. 1. v. 16. Prout Solis radios perpendicularares habemus, brevior est corporis nostri umbra, quod horâ antemeridianâ, meridianâ & pomeridianâ videre est: ita quod amplioribus atque excellentioribus nos Deus cumulavit beneficijs, ed minus arrogantiae & ostentationis in nobis esse debet. Ridemus eos, qui vestes nitidas & pretiosas sibi mutuò datas, ut personam aliquam honestam in scena agant, comedestando, restituere nolunt, sed tanquam proprias, iis se mnes & ambitiosi, qui beneficiis à Dei affecti, ea sibi arrogant, cœlestis Benefactoris obliti: Nos omni abnegatâ ambitione, suppressâque arrogantia, mundanæ gloriæ & gloriationis fastidiamus odorem. Quis Salomone unquam virtutis auctior, aut autoritatè gravior, aut regalibus dilectis: *Vanitas vanitatum; ista omnia sunt vanitas.* Eccl. 1. 2.

Quid

I N M A T T H. XVIII.

Quid juverit, gloriæ inter mortales excellere, si coram Deo in glorij sumus & probrosi? Quid proderit, in regno tenebrarum maximos nos esse, si in regno lucis nulli sumus? Vanum est, omni laude in & à mundo cumulari, si coram sanctis Angelis ignominiosi sumus. Inanis est gloria, si ubi non es, laudaris; & ubi es, cruciaris. Abjecti, humiles, despicii sumus in hac vitâ? Finis hujus contemptus instat: sufficit quod coram Deo in Filio ipsius Iesu Christo, in cælorum regno maximi, ditissimi, gloriofissimi futuri sumus. Quemadmodum nostri demissio, Dei in nobis est exaltatio: Ita nostræ demissionis confessio, præsentissimum est misericordiarum omnium nostrarum remedium, & divinæ misericordiæ atque bonitatis invitamentum & allecatio: Nulla in re nobis est gloriandum: nihil etenim nostrum est, nisi ut omni ex parte dejecti, toti à Deo pendere discamus. Christus ipse maximus quum esset, factus est minimus: *Inanivit se, formâ servi acceptâ.* Philip. 2. vers. 7. Rursus ex minimo factus est maximus. Deus enim ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen quod est supra omne nomen: ut ad nomen Iesu omne genu se flectat caelatum ac terrestrium & subterraneorum. Ibid. v. 9. 10. Iam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilius Deus. August. in Psal. 8: *Quandoquidem homo sublimior, quam creatus fuerat, esse discipiens, præcepis ruit, convenit dejectum demisso incedere capite, suâque sorte contentum, ad pristinam aspirare dignitatem, eamque in Christo, pro nobis exinanito, obtinere.* Putebit ipsam Lunam, & erubescet Sol ipse, quum regnabit Iehova exercituum in monte Tzionis & Ierusalaimis, & coram Senioribus suis gloriose. Esai. 24. 2-3. Et nos miserrimi peccatores, peccatis undique obfessi & obruti, propter quos Sol justitiae, Iesus Christus, expalluit, & obscuratus est, coram sanctissima Dei maiestate, capita erigeremus? Sit potius penes nos pudor faciezi.

Dan. 9. vers. 7. Ut solis splendor tenebras stellis offundit: Sic divinæ gloriæ Sol quemvis hominum fastum extinguat. Nōrānt id sancti Patriarchæ. Demisit se Abrahamus; Deum alloquutur, reverentiâ sanctissimæ ejus majestatis, & conscientiâ suæ vilitatis & indignitatis prostratus, submississimè pulvrem se & cinerem agnovit. Gen. 18. 27. Neque frustra id fuit. Fecit enim Deus eum maximum in regno gratiæ & gloriæ. In regno gratiæ; dignatus eum est Excel-sus nomine atque honore amici sui, Eſai. 41. 8. ac omnium credentium Patris. Rom. 4. vers. 11. In regno gloriæ; conſtituit eum Deus patrem, qui credentes laboribus atque ærumnis hujus mundi defeffos in ſinum ſuum colligat; quem admodum parentes terreni puerulos ſuos vel diſcurſatione diurnâ feffos, vel ex adverſo aliquo caſu ejulantes, ſolatijs gratiâ in ſinum ſuum recipiunt, ut ibi ſuaviter quiescant. Luc. 16. 22. Vestigia humillimi ſui Avi Abrahami preſlit Nēpos haud degener Jacobus: Memoriâ repetens beneficia complurima & maxima divinitus in ſe collata, in humilem hanc & patheticam gratiarum actionem erupit: *Impar ſum omnibus hiis beneficiis, totique illi fidei quam preſtitisti ſervo tuo.* Gen. 32. 10. Humilitatem iſtam ampliſſimis Deus remuneravit præmijs. Magnus fuit Jacobus in Ecclesia militante, quæ nomen *Israelis Dei* ab eo ſortita eſt. Gal. 6. 16. Magnus quoque in Ecclesia triumphante fuit; dignatus eum Deus eſt, una cum Abrahamo avo, & Iſaaco patre ſuo, pri-mo accubitu in regno cœlorum. Matth. 8. vers. 11. Inter reges pios David animi demiſſione excelluit: à pedo ad regni gubernacula evenctus, affumtuſ ex caulis gregis, à tergo fætarum (ut sancti Spiritus verbiſ utar) ducitus, ad paſcendum Iacobum populum Dei, & Iſraelem poſſeſſionem ejus, Pſal. 78. v. 70. 71. in ſummam admirationem raptus, animo de-miſſiſimo exclamavit: *Quis ſum ego, Domine Iehovi, & que eſt familiæ mea, quod deduciſ me eousque?* 2. Sam. 7. 18. Imò

Deum

Deum ipſum, cordium & renum ſcrutatorem, ſuæ humili-tatiſ teſtem citare & producere non veretur: *O Iehova, non ſuperbit cor meum, nec efferuntur oculi mei: neq; ambulo in rebus magnis, & mirabilioribus quām ut ego eas aſsequar.* Nisi com-pofui & ſedavi animam meam, ſicut ablatuſ apud matrem fu-am facit; niſi ſicut ablatuſ, apud me fuit anima mea: puniat me Deus. Pſal. 131. 1. 2. Nec caruit mercede iſta demisio. Magnus fuit David in oculis Dei: *Inveni, inquit Deus, Davidem Filium Ieffe, virum ſecundūm cor meum, qui exequetur omnes voluntates meas.* Act. 13. 22. Unde *καὶ ἐξοχὴν ελεῖτος θεοῦ* dicitur. Pſal. 89. 4. Varijs eum modis Deus exaltavit. Praeconia laudum ejus peragit Siracides cap. 47. 2. & ſeq. *Tamquam adeps separatus ab hostia ſalutari, ita eſt David exi-mius ex Israelitis.* Inter leones peregrinus conversatus eſt ſicut inter haedos, & inter ursos, ſicut inter laetantes agnos. In ju-ventute ſuā occidit gigantem, & ſuſtulit prebrum ē populo, quum attolleret manum, lapide funda dejecturus gloriabundum Goliam-thum. Nam invocavit Dominum altissimum, qui dedit dextera ipſius robur tollendi hominem potentem bello, ad exaltandum cornu populi ſui. Sic inter myriadas gloria tribuit ei, & laudavit eum benedictionibus Domini. Quum allatum fuiffet ipſi diadema gloria, attrivit inimicos circumquaſs, & rededit in nū ilium Pel-iſchthæos adverſarios, in diem hodiernum uſq; attrivit illorū cornua. In omni opere ſuo tribuit celebrationem ſancto Altissimo verbiſ glo-rioſis. En toto corde ſuo decantavit & amavit Opificem ſuum: in-ſtituitque cantores ante altare, ut voce ſuaves canerentur mo-duli ipſius, & in dies laudarent Deum odiſ ſuis. Tradidit ad di-ces festos res decoras, & tempeſtates ornavit abſolutiſſime, laudan-tibus illis ſanctum nomen ejus, & inde à matutino personante ſan-ctuario ejus. Dominus abſtulit peccata ipſius, & cornu ipſius in ſecula exaltavit, tradens ei fedus regni & thronum gloria in Iſra-ēle. Non defuerunt quoque præfecti militum, qui ſuper-bo, tumido, minaceque ſpiritu poſito, inſtar puerolorum,

etiam

etiam infra gregariorum militum sortem, fese demiserunt. Palmam reliquis præcipuit Centurio Capernaumicus, cuius singularis animi submissio ex eo apparet, quod seipsum indignum judicans qui Christo se sisteret, primò *Seniores Iudeorum*, deinde *amicos* ad eum misit. Duplex submissio-
nis animi indicium insigne clarumque edidit. Primum erga Christum, cuius præsentia & alloquio indignum se judicat, dici ei jubens: *Domine, ne vexator: nec enim sum dignus ut tecum meum subeas.* Ideo ne me ipsum quidem sum dignum arbitratus qui venirem ad te: sed loquere, & sanabitur puermeus. Alterum erga homines, quod eos (sibi magni Christi testimo-
nio inferiores) meliores se & magis pios aestimavit. Verùm qui fese demiserat, à Christo evectus est. Dejecerat se infra Iudeos omnes, sed à Christo supra omnes extollitur. *Iesus enim admiratus est eum: & conversus dixit turbæ que ipsum sequebatur: Dico vobis, ne in Israële quidem tantam fidem invéni.* Luc. 7. v. 1. & seqq. Illustre quoque demissionis exemplum extat in Maria Virgine, Θεοτόκῳ, quae accepto nuncio de Ser-
vatore mundi ex se nascituro, nihil aliud corde & sermone submissio regeffit, nisi illud: *Ecce ancilla Domini!* Luc. 1. 38. Sed maxima prædicatur tūm ab Angelo Gabriele, dicente: *Ave gratia dilecta: Dominus tecum est: benedicta tu inter mulieres.* Ibid. vers. 28. tūm ab Elisabeta cognatā, voce magnā exclama-
mante: *Benedicta tu inter mulieres, quia benedictus fructus ute-
ri tui.* verl. 42. Istam inexpectatam sui exaltationem mirata Maria ipsa, vicissim Deum exaltavit, ajens: *Magnificat anima mea Dominum, & exultat spiritus meus super Deo Ser-
vatore meo.* Quia respexit humilem ancillam suam: ecce enim ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes aetates: quia magni-
ficè tecum egit potens ille, cuius sanctum est nomen. vers. 46-49. Adeo hæc sunt perspicua, ut addere plura non sit necesse: non me contineo tamen, quin addam exemplum Pauli, qui ex intimo vilitatis & indignitatis suæ sensu, se coram Deo,
intra

infra omnes Apostolos, demissurus, *abortivum* se vocat. 1. Cor. 15. 8. *Abortivum* dicitur proles, quæ vel extra de-
bitum tempus nascitur, vel cum violentia ex utero extrahi-
tur, vel ad justam quantitatem non pervenit. Huic se Pau-
lus comparat, non tantum quia ipse post omnes alios Apo-
stolos, & post Christi discessum, quasi extra tempus, fuit vo-
catus: nec ob id solum, quod quasi cum quādam violentiā
ad fidem conversus fuit, per terrorem & minas Christi:
Durum fuerit tibi contra stimulum calcitrare. Act. 9. vers. 5.
sed etiam quia aliis Apostolis minorem te agnovit, confide-
ratione vitæ præteritæ, quando Ecclesiæ persecutorem e-
gerat. Et hanc metaphoræ rationem ipse subjicit, & longi-
tus prosequitur: *Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non
sum dignus vocari Apostolus; propterea quod persecutus sum Ec-
clesiam Dei.* 1. Cor. 15. 9. Revera autem Paulus maximus fuit
in regno cœlorum. In regno gratiæ, amplius quam omnes A-
postoli laboravit. Ibid. v. 10. Expressè de eo pronunciat Deus:
*Instrumentum electum est mihi iste, ut portet nomen meum in con-
spectum Gentium, & regum, & filiorum Israël.* Act. 9. 15. In re-
gno gloriæ, ad summum felicitatis gradum eum Deus eve-
xit. Loquatur ipse. *Reposita, ait, est mihi justitiae corona,
quam reddet mihi Dominus in illo die, justus ille judex.* 2. Tim. 4.
8. Gloriæ hujus cœlestis prodromus fuit, quod raptus Pau-
lus in tertium usque cœlum, & in paradisum, verba audivit inef-
fabilia, quæ non liceat homini loqui. 2. Cor. 12. 2. 4. Hæc o-
mnia eō rendunt, ut nihil nobis putemus relicturn, quam
& perpetuò & ubique auscultare dicto & monito Petri:
*Submittite vos igitur robustæ manuī Dei: ut vos opportuno tempore
extollat.* 1. Epist. 5. 6. Humilitas dicitur inter homines
facit. Mundi filij, à Deo exaltati, superbiunt: Filii cœli,
ad honores evecti, fese demittunt, ac Davidi succinunt:
*Non nobis, Iehova, non nobis; sed nomini tuo da honorem, propter
benignitatem tuam, propter fidem tuam.* Psal. 115. 1. Magni-
ducimus,

ducimus, si ab hominibus gravibus atque piis laudemur & honoremur. Laudari à laudato viro, rara est merces. Cordatè Cicero: *Cum à nostro Catone laudabar, vel reprehendi me à ceteris facile patiebar.* In Oratore ad Brutum. Quantò illustrius, gloriosius, & præclarus, à Deo maximum reputari, & honore atque gloriā coronari? Verè Paulus: *Non qui seipsum commendat, is probandus est, sed is quem Dominus commendat.* 2. Cor. 10. v. 18. Quod si honorificum est, recipi in aulam terreni alicujus & mortalis regis: quanto honorificentius in regni coelestis communio-
nem assumi? Ibi *satietas gaudiorum est coram facie Iehovae: amenitates ibi sunt ad dexteram ejus in aeternum.* Psal. 16. vers. 11.

Satis jam multa de animi submissionis necessitate atque utilitate, deque oppositæ ei animi elationis turpitudine terrenisque ac sempiternis poenis dixi: Unum hoc restat, ut notas subjiciamus, quibus vera animi demissio dignosci possit. *Fraudulentum enim hinc, si suspiam alias, est cor hominis supra omnia, & mortiferum.* Ierem. 17. 9. Sæpe in oculis suis humillimi sibi videntur, qui reverâ in oculis Dei sunt superbissimi & ambitiosissimi. Umbram humilitatis multi, veritate relictâ, conlectantur. Evidem nihil deterius, quam si humilem se putet, qui superbiae morbo laborat. Et quo pacto medicinam queret, qui mali nihil se pati suscipiet? Verissime ille: *Nihil invenio quod sit fabricata humilitate superbius.* Præfero contumelias fucatae frontis obsequiis: transit amaritudinem dulcedo simulata. Frons, vultus, oculi saepe mentiuntur, oratio autem saepissime. Instar omnium sit Pharisæus, qui quidem coram hominibus se non extollebat, sed cor ipsius elatum erat coram Deo, & confidebat in propria justitia. I. Luc. 18. 11. 12. Sic Monachi in Papatu summam coram hominibus simulant humilitatem, vel (ut Pauli utar verbis) *animi submissionem præseferunt.* Col.

2. 23. sed sub vilibus cucullis & villosis fassis horrendam cordis sui elationem abscondunt. Ita enim operum suorum abundantiam sunt inflati, ut non sibi duntaxat, sed alii quoque salutem inde polliceri ausint. Ad hanc classem pertinent Anabaptistæ, qui summa simulant simplicitatem & humilitatem, vestesque tenues & viles gerunt. Sed quid juvat, indui vestibus obsoletis & parvo emtis, si cor tecum sit holofericis & bombycinis, haec plenum superbiae? Ideo secessionem à nobis faciunt, quod nobis se longè sanctiores esse putent, ac contemptim nos *Mundum* appellant, tanquam ipsi soli vivi sint sancti, ac sanctitate ad Angelos quam proximè accedant. Eiusmodi cordis elatio, ipsissima est superbia, ut ex descriptione superborum Pharisæorum patet, qui sibi persuaserant se iustos esse, & pro nihilo habebant reliquos. Luc. 18. 9. Gregorius Nazianzenus Episcopus (à dogmatum sublimitate solus, post Ioannem Evangelistam, *Theologus* peculiari & proprio cognomento dictus) Oratione funebri in patris exequijs habitâ, plerosque Philosophos, & multos Ecclesiæ ministros sui temporis, gravissimè hoc nomine perstringit, quod humilitatis simulatione plurimis turpiter imponerent: *Sunt, inquit, humiles superficie ac specie tenus, ut sanctiores credantur: similes stultis mulieribus, quæ pulchritudinem fuso mentiuntur. Diceres, eorum gestu observato, eos fabulam aliquam agere. Contorquent collum, demittunt caput, submissè loquuntur: terram intuentur, rasis sunt capillis, lentè incedunt.* Sed in his Christiana humilitas non consistit, verum in eo ut nihil nobis arrogemus, & ut veritatem potius, quam speciem virtutis affectemus. Hoc tempore frequentius, quam alias unquam, videre est quod optimus ille Doctor dicit, nulloque hac ætate ambitiosiores ijs ipsi s qui humilitatem profitentur. Socrates fertur, quum Antisthenem Cynicum videret de veteri pallio gloriantem, ac foramina illius ostentantem, quasi sibi animi demissionem tri-

bueret, quod illud gestaret, eosque qui melius induiti essent, ambitionis argueret: *Video, dixisse, Antisthenis arrogantiam per ipsius palli foramina.* Plato itidem, qui politus erat tun-
veste tam domesticâ supellectile, quum ad eum venisset ru-
sticus ille & sordidus Diogenes, & lectum ejus scitè ornatum
vidisset, ac eum calcans, dixisset, *se Platonis fastum calcare;*
At fastu aho, inquit, ô Diogenes. Ex quibus patet, vel ex i-
plorum Philosopherum judicio, humilitatem non esse con-
temptum civilitatis & decoris, nedium squaloris & sordium
affectionem, id est, morum rusticorum & incivilium, sed
potius nostrâ ipsorum demissionem & tedium, à cognitione
& sensu nostrâ inopiae & naturalis miseriæ proficisciens. Si-
gna ergo audite & capite, quibus vera animi demissio ab
ambitione & superbia discernitur.

1. Intima agnitus reatus nostri, in quo coram Deo su-
mus, ob peccata in ipsum commissa. *Totus mundus, Apo-*
stolo teste, obnoxius factus est ob peccatum condemnationi Dei.
Rom. 3. v. 19. Signum istud in sanctis Dei cultoribus de-
prehendimus. Quæ causa humilitatis Davidis? Ipse haud
diffimulat: *Transgressiones meas ego agnosco: & peccatum me-*
um obversatur mihi jugiter. Contra te solum peccavi, & quod ma-
lum est in oculis tuis feci. Psal. 51. s. 6. Quo signo animi de-
missionem testatus est Paulus? *Peccatorum,* inquit, *primus*
sum ego. 1. Tim. 1. 15. Quâ notâ Manasses humilitatis se a-
lumnum ostendit! Ipsum audite: *Fiebo genua cordis mei,*
exoptans à te benignitatem tuam; *peccavi, Domine, peccavi, &*
iniquitates meas agnosco. Orat. Manass. veri. 11. Pavo con-
spiciens suas pennas & in ijs se intuens, superbit: sed ad suos
pedes non ita formosos ut primum oculos demisit, statim de
illo fastu remittit: Ita si propter dotes aliquas, quibus nos
Deus præ alijs ornatos esse voluit, à carne nostra aut Dia-
bolo ad arrogantiam sollicitemur: quod hæc reprimatur,
consideremus cordis nostri impuritatem. Hæc cogitatio-

criftas

criftas nobis detrahet, ut posito supercilio, nos coram Deo
demittamus, ac humiliiter de nobis & sentiamus & loqua-
mur. Hoc fine in speculum Legis divinæ diligenter & fre-
quenter inspiciamus, Jacob. 1. 23. Sic animæ maculas mox
conspiciemus. *Per Legem enim est cognitio peccati.* Rom. 3. 20.
Quod diligentius mentis nostræ faciem in hoc speculo intui-
ti fuerimus, eo nos rugosiores cernemus, & ultimo vita-
die deformitatem nostram maximè animadvertemus, nos-
que in Dei conspectu humiliabimus. Contrà superbia hu-
jusmodi humilem peccatorum agnitionem atque confessio-
nem feriam excludit. *Per suadent sibi arrogantes se justos esse.*
Luc. 18. 9. Phariseus, propriæ justitiae opinione ebrios, prætumidis hisce vocibus se jactat: *Deus, gratias ago tibi,*
quod non sim ut reliqui homines, rapaces, iniqui, mæchi. Ibid. v. 11.
Arroganter & insolenter se efficit Laodicensem Antistes, dicitque: *Dives sum, & ditatus sum, & nullare mihi est opus.* Ni-
mirum seipsum non nōrat miserrimum peccatorum manci-
pium. Ideoque audit ex ore Christi illud: *Non nos te esse æ-*
rumnasum, & miserabilem, & pauperem, & cœcum, & nudum. A-
poc. 3. 17. Ignoratio sui ipsius omnis arrogantiae causa est.

2. Seria & pia agnitus indignitatis & imperfectionis no-
stræ coram Deo. Pulvis sumus & cinis: putredo sumus: im-
vanitas sumus & nihilum. *Omnis caro est ut gramen,* & *omnis*
gloria hominis, ut flos graminis: exaruit gramen, & flos ejus deci-
dit. 1. Petr. 1. 24. Quicunque miseram hominis conditio-
nem cogitat, facilè se demittit, & superbiæ tentationem ef-
fugit. Omnis homo vialis est in ingressu, miser in progressu,
flebilis in egressu: impugnatur à Diabolo, lacefitur tenta-
tionibus, allicitur delectationibus, dejicitur afflictionibus,
implicatur criminibus, denudatus est virtutibus, irretitus:
malis consuetudinibus. Extra Dei gratiam, peccatorum est:
mancipium, à Diabolo captivus factus ad ipsius libitum, 2. Tim.
2. 26. infernitatio. Regeneratus, subinde in peccata rela-
bitur,

bitur, Deum novis peccatis ad iram concitat, Dei dona quotidianis lapsibus contaminat, proximo offendicula ponit & præbet, vitamque in imperfectione & turpi beneficiorum Dei abusu dicit. *Non facit bonum quod vult: sed malum quod non vult, hoc agit.* Rom. 7. 19. Si quid in ipso boni, id ipsius non est, sed Dei: nihil ipsius est, nisi peccata: nihil ergo arroget sibi ex his, quæ in se sunt, præter peccata sua. Hæc vilitatis, imperfectionis, & indignitatis suæ consideratio fecit, ut Abrahamus pro Sodoma apud Deum intercessurus, submississimam illam præfationem adhibuerit: *Ecce nunc cuperem alloqui Dominum, tametsi ego sim pulvis & cinis.* Genef. 18. 27. David, conscius sibi suæ infirmitatis, fragilitatis, & infimæ miseræque conditionis, ac memor infinitæ Dei erga se misericordiæ & beneficentia, ex intima animi submissione exclamat: *Iehova, quid est homo, ut agnoscas eum? filius mortalis, ut rationem habeas ejus? Homo vanitati similis est, dies ejus sunt ut umbra prætereuntis.* Psal. 144. 3. 4. Aliter superbi: magnificè se efferunt, excellentiam afferant, & ampullas projiciunt. Alexander Magnus, hominum quos terra tulit ambitiosissimus, fastidit homo esse, nec jam Philippi, sed Iovis filium se jactat, & hoc nomine vult salutari. Julius Cæsar, vir animo & ingenio magnus, principum maximus, rebus fortiter feliciterque gestis elatus, se quipedales hæc voces emittit: *Debere jam homines consideratiū secum loqui, ac pro legibus habere quæ dicat.* Caligula, Domitianus, Commodus, Imperatores arrogantissimi, parlam salutari & baberi, *Dominus Deusque noster*, volabant Pharaon, jussus populum Israeliticum dimittre, non tantum gigantea arrogantiæ Deo viventi se æquat, sed etiam eo se superiorem gloriatur. *Quis, inquit, est Iehova, cuius vocis au-scultem dimittendo Israëlem? non novi Iehovam, ideo etiam Isra-élem non dimittam.* Exod. 5. 2. Jure hæc succiamo Siracidæ: *Quid superbit terra & cinis?* cap. 10. 9. Num credibile est, hæc

hæc fastos, qui tamen magnificè de se sentiunt, vel hominum impendisse ad considerationem tamen imperfectionis ac vitiorum humanæ naturæ, velut ignorantia, cupiditatis, metus, diffidentia, anxietatis & offensionis nostrorum animalium: tamen inopiae, morborum, imbecillitatis, fudorum senectutis & mortis, quibus ob peccatum obnoxia sunt nostra corpora? Num verisimile, ipsis unquam in mentem venisse peccati & Diaboli servitutis, iræ & indignationis divinae, in quam incurrimus, jacturæ imaginis & similitudinis Dei ad quam creati fueramus, inimicitiae ac pugnæ carnis & spiritus, denique confusionis ac perturbationis inextricabilis, quæ mentes nostras animosque totos occupat?

3. Voluntaria susceptio officiorum a Deo nobis impositorum & mandatorum, quamvis humiliora atque viliora nobis possint videri. Christus, absolutissimum atque illustrissimum humilitatis speculum, non designatus est *lavare pedes discipulorum suorum, & extergere linteo quo erat praecinctus.* Ioan. 13. 5. Ecce animi submissio Dominum gloriam, Regemque regum, ad abjectissimum & contemptissimum mediaстini & mancipii ministeriū dejecit. Nec hoc tantum; sed ita se submisit Christus, ut factus fuerit coelesti Patri suo obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philip. 2. 8. Sic etiam nos animo submissio officia charitatis, etiam abjectissima, proximo alacriter præstare debemus. Non sunt hæc ingenij mei somnia & figmenta, neque confictæ & inconsequentes (ut sic dicam) inconsequentialia. Audite Christum ipsum, rationem & præcipuum consilium hujus lotionis pedum exponentem: *Si, inquit, ego lavi pedes vestros Dominus & Praeceptor, vos quoque debetis alij aliorum pedes lavare.* Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, Servus non est major Domino suo, neque legatus maior eo à quo missus est. Si haec non veritis, beati eritis si ea feceritis. Ioan. 13. 14. — 17. Vehementer

menter fortiterque argumentum hoc stringit. Tantundem enim dicit Christus : Duo sunt, quorum alterutrum me à vili hoc ministerio jure posset avertisse: tūm quid *Dominus vester* sum, tūm quid *Præceptor*; nedum utrumque conjunctim: maximè quum meum cùm herile tūm magistrale (si ita loqui liceat) imperium atque authoritas merè sit absolta, non, ut hominum, certis conditionibus devincta ac definita. Quare si summa ista authoritas me non cohibuit, quominus me ad pedes vestros, ut eos lavem, demitterem; nedum vos ad pedum proximi lotionem demittere vos debetis, quum pares sociique sitis, quippe conservi uni hero ministrantes, ac unius præceptoris discipuli. Si nullo imperio aut principatu vobis prælatus hoc fecisset; tamen quod rectum est facientem me in recto facto imitari debetis: quanto magis nunc quum tantà authoritate prædictus hucusque me demiserim? Quid si manus aut caput vobis lavisset Dominus ac præceptor, vos debebatis invicem pedes vestros lavare, nedum quum pedes vestros laverim. Item si condiscipuli duntaxat, non etiam conservi, effettis, debebatis tamen, Præceptoris exemplo, invicem pedes lavare; nedum & condiscipuli & conservi, facere hoc tenemini. Meminit autem *pedum lotionis*, ut infimo hoc & contemptissimo officij genere doceat, nihil tam Fordidum aut vile videri nobis debere, quod non libenter subeamus, si proximus eo opus habeat. Et sanè fecerunt, quotquot unquam Christi Spiritu prædicti actaque, verâ animi demissione ornati atque conspicui fuere. Hoc nomine commendatur Samaritanus, qui *confecto* Iudeo lethali ter à latronibus vulnerato, misericordiâ intimâ commotus est. Et accedens obligavit ejus vulnera, infundens oleum ac vitrum: & ipsum impostum suo jumento duxit in diversorium, & ejus curam egit. Luc. 10. 33. 34. Iosephum Arimathæensem, Senatoriæ dignitatis virum, non pruduit corpus Christi cruci.

¹⁶⁹ sti crucifixi ex infami ligno deponere: quod vel tangere duntaxat plerique omnes exhorruissent. Ioan. 19. ver. 38. Tobias senior occisos à Sancheribô tyranno pios, furtim abrepertos, sepelivit. Tob. 1. v. 21. Jobus, omnium Orientalium maximus, de se pronunciat: *Pro oculis eram cæco: & pro pedibus clando eram Pater eram egenitus.* cap. 29. v. 15. 16. Discipuli Joannis Baptista corpus Magistri, iussu Herodis decollati, sublatum sepelierunt. Matth. 14. 12. Religiosi primitivæ Apostolicæ Ecclesiæ cives Stephanum, lapidibus obtutum, ad sepulturam extulerunt. Act. 8. v. 2. De Astyrio, viro nobili, Eusebius lib. 7. Histor. Eccles. cap. 15. Erat, inquit, hic vir ex Romanis Senatoribus acceptus, ac cunctis cum propter generis nobilitatem, tūm propter opes notus: qui quum in consummatione martyris Marim adfæctus, corpus illius humero suo, splendidoque & pretioso indumento impositum detulit, & splendiffime, quantum conveniebat, sepulturae tradidit. Sic quum anno septuagesimo secundo proximi leculi, Caspar Colignius, Thalassiarca Franciæ, in laniena Parisiensi trucidatus esset, caput quidem Romam transmissum, reliquum vero cadaver de patibulo suspensum fuit. Ecce autem quidam, inter fævissimas persecutions, cadaver Colignij patibulo deripuit, & dereptum honesto loco sepelivit. Næ magna hominis audacia, quæ admirationem omnium in se commovit. Thuan. libr. 52. ad annum 1572. Contrà superbi & inflati utres, generis nobilitate, munera quod sustinent dignitate, suâque ipsius fiduciâ inebriati, & humili atque abjectâ proximi conditione absterriti, inferiores omnes insolenter fastidiunt, indignisque putant aliquid humilius facere, quo proximus juvari possit, seque nullius hominis operâ indigere arbitrantur. O stultissimos! Ecquis nobilior Christo, cuius generatio, quoad Divinitatem, æterna ex Deo est: quoad Humanitatem verò ex Virgine castissima & sanctissima, multisque regibus

gibus & Prophetis nobilitatā Patriarcharum familiā ortum suum habuit? Quis eodem excellentior, si officij dignitatem spectes, quem Deus populi sui Regem & Sacerdotem æternū constituit? Vel unum eum alicujus indigum fuisse putabimus, *cui Pater omnem potestatem in cælo & in terra tradidit?* Matth. 28. 18. & qui in vili atque mortali carne vitali degens, morbis, ventis, mari, & immundis spiritibus, imò etiam ipsi morti pro arbitrio suo imperabat? Attamen illum nec Apostolorum ambitio (cujus specimen nimis pendulum in ultima Coena dederant. Luc. 22. 25) nec eorum demox secutura fuga & defectio, nec Iudæ proditoris præsentia absterruit, quominus ad pedes usq; eorum se demiserit. Ioan. 13. 4. &c. Et tu, excæcatus, quam tibi affingit, dignitate, in hunc modum ratiocinareris: Egōne proximo generosior, honestiore loco natus, ditior, honoratior, doctior, ætate major, me exinanirem, & vili atque abjecto huic homini, obscurissimo loco nato, infervirem? *Φιλαυτία*, miser, in eo æstimando: superbiam tuam prodis, oblitus moniti Apostolici: *Nihil gerite per contentionem aut per inanem gloriam: sed ex animi submissione alij alios existimare vobis præcellere.* Philip. 2. 3. Ac, ut proximo sis honoratior & nobilior; nihil tamen de teipso affirmare potes, quod in Christo pleniū & cumulatius non fuerit: nec dicere potes, te *Dominum* proximi aut *Præceptorem* esse. Atque ut maximè hoc affirmare posses, Christo tamen inferior es, qui ad litionem pedum Apostolorum suorum se demisit. Esto, sit obscuro ortus genere proximus: at usq; eo abjectus non est, tuis ut sit servus aut discipulus. Ac ut esset, non id tibi in eum juris est, quod Christo in suos fuit. Imò vero quisquis es, & quantuscumque, vilissimi illius mancipij *conservus* es & condiscipulus: Matth. 18. 33. siquidem frater sit, & eumdem Christum tecum profiteatur. Ergo cogitatione & oculis tuis ab abjecta ipsius conditione, secundum

dum quam inferior te est, aversis; dignitatem, quam in Christo adeptus est, reputa, secundūm quam tibi exæquatur, imò, nisi te demiseris, præfertur. Tametsi enim nondum in plenam regni coelorum possessionem missus sit; at hæres jam designatus est, & jus regni habet: adeoque perinde jam æstimandus est, atque si jam in illam celitudinem elatus esset: quemadmodum Abigail, quum David adhuc in desertis, ut erro atque circumforaneus, palaretur, eo quod jus regni eum obtainere nosset, non minore submissione fese coram illo abjecit, atque *ad lavandum pedes servorum ejus obtulit*, ac si jam in regni folio collocatus fuisset. 1. Sam. 25. vers. 41. Nec est quod te ab hoc submissionis debito deterrat genus officij quod præstandum est proximo. Ne dicas in corde tuo: Egōne aspectu eum dignarer? iturusne ad eum sum? coram illo caput aperturus? de via discessurus? ei supplicatus? dexteram ei porrecturus? ei ministratus? Ne, inquam, in his hæreto, quum vel ad pedes ejus provolutus, pedes ipsius lavare deberes, si hoc illi profutrum esset. Summa est, nullum tam esse abjectum, qui vel vilissimum quodque officium non præstet, & præstare debeat, qui est inter summos.

4. Depositio omnis nostræ dignitatis & præminentiae supra alios, coram Deo, ac in primis in ejus cultu. Ce viginti quatuor Senioribus, qui triumphantem in coelis Ecclesiam repræsentant, scriptum extat, quod *coronas suas ante thronum Altissimi abjecerint*. Apoc. 4. 10. Nempe ipsi beati cœlites in summa gloria facem nobis singularis demissionis animi præferunt. Nam venerabundi se humiliant, Christo laudes omnipotentiæ, creationis, providentiæ & sustentationis rerum omnium, denique victoriæ de hostibus suis & Ecclesiæ tribuendo. Verè enim Gregorius: *Coronas suas ante thronum mittere, est certaminum suorum viatorias non sibi tribuere, sed auctori, ut ad illum referant gloriam laudis, à quo se*

siūm vires accepisse certaminis. Libr. 22. Moral. cap. 5.
Quidni nos, qui ad cœlum ἀναπτυγοίσαι & gloriā non-dum pervenimus, sed sub Christi vexillo militantes, lethali-ter sāpe à Diabolo & carne corrupta fauciamur, humiliiter de nobis sentiamus, neque supra εὐμάχοις nostros nos es-feramus? Graviter Paulus: *Non elatè de vobis ipsis sentite, sed humilibus obsecundate.* Rom. 12. 16. Hanc admonitionem totā vitā sanctus Apostolus expressit. *Amplius quām reliqui omnes Apostoli laboraverat:* nihilominus *omnium se Apostolorum minimum,* & intimè agnovit, & ingenuè professus est. 1. Cor. 15. 9. 10. Contrà superbus de sua duntaxat excellētia cogitat, & alios fastidiosè p̄s se contemnit, etiam in Dei conspectu. Viva ejusmodi arrogantiæ imago nobis proponitur in Pharisæo, qui satis non habens de sua pietate, iustitia & meritis coram Deo præsumisse, etiam reliquos homines, ac nominatim Publicanum, grandi supercilio spre-vit: *Non, inquit, sum ut reliqui homines:* *Vel etiam ut iste Publicanus.* Luc. 18. 12. Voces ferreæ. *Non sum ut reliqui homines.* Hoc qui de se enunciat, ille vel melior & superior est reliquis hominibus, vel inferior. Si superior: Deum ip̄sum esse necesse est. Si inferior, ad pecudes rationis ex-pertes ablegandus est. Et hoc sacris congruit. Paginis. Nebucad- netzar Rex Babylonie nolebat esse ut reliqui homines, sed Deo se æquabat. Deus id ferre nec valens nec volens, eum infra homines de summa gloria in for-tēm brutorum abjectissimam detrusit. *Nam ab hominibus depulsa herbam ut boves comedit, & rōre cœli corpus ejus intinctum est:* *usque dum pili ejus ut aquilarum pili crevissent, & unguis ejus ut avium.* Dan. 4. verl. 33. Prorsus uti interminatus ei erat Deus: *Animus ejus ab humano mutabitur, & cor bestiæ dabitur ei.* Ibid. verl. 16. *Non sum ut reliqui homines.* Ergōne tibi locus aliis extra cœlum, quod commune Dei filiorum receptaculum est, parandus atque assignandus?

Vel

Vel num reliqui homines exitio æterno adjudicabuntur, ut tu solus serveris, cœlumque occupes? *Non sum ut reliqui homines.* Os durum atque superbū comprime, Phariseæ. *Qui sibi videtur stare, videat ne cadat:* ajebat ille, cui vix ul-lus homo par fuit. 1. Cor. 10. 12. Quod tu hodie es, cras reliqui esse possunt: vicissim, quod illi hodie sunt, tu cras esse potes. *Non sum ut reliqui homines.* Tūne igitur ad intimas omnium hominum cogitationes penetrasti? tūne omnia corda atque renes penitus perscrutatus es? quid si fide ac pietate te supererent? quid si Deum ardentiore af-fectu diligent? quid si majore charitate proximum complectantur? *Desine temerè judicare,* Phariseæ, *ut ne judi-ceris.* Matth. 7. verl. 2. Nec minus absonta & superba est altera Pharisei vox: *Non sum ut iste Publicanus.* Nesciebat enim quæ qualesque cogitationes in Publicani animo versarentur: nesciebat quām ingentes lamentabilesque gemitus ab imo pectore daret. Utinam ad Publicani pietatem proximè accessisset Phariseus! Adhæc esto Publicanus peccatorum maximus & miserrimus: id Phariseum scelerum non facit immunem: Neque enim impia Publi-canī vita, sed Dei Lex, exacta vita Pharisæi amissis erat. Ad eam si se suamque vitam exegisset, multa sibi ad perfe-cionem deesse intellexisset. Qui in speculum luteum inspicit, maculas quibus deturpata est facies, non vi-det. Sic peccatores, qui alios omnes quasi se nequiores contuentur, ac non nisi nævos in illis vel observant, vel ob-servare se putant, nunquam animæ suæ fæditatem & turpi-tudinem agnoscunt. Politum & limpidum Legis specu-lum inspiciendum est: *Per Legem enim est cognitio peccati.* Rom. 3. verl. 20. Ex ea perspicimus, quæ à nobis Deus postulet, & quæ nobis desint. Porro gravissimè contra hoc Dei edictum peccat Phariseus: *Si amoveris ab animo tuo ex-tensionem digiti, tūn exorietur in tenebris lux tua;* & in caligine tua

CONCIO TERTIA

tua tanquam meridiana lux. Esa. 58. 9. 10. Hujus mandati inimemor Phariseus , dígito intenso Publicanum notat. In tenebris ergo manebit. Præterea si vel micam pietatis habuisset Phariseus, gratulatus fuisset Publicano, cum Angelis Dei, de conversione ad Deum. Piè & egregiè Siracides: *Ne probro afficias hominem revertentem à peccato; memento nos omnes infestos in reparationibus.* cap. 8. 6. Debuissest ergo Pharisæus dicere: Agnosco, ò æterne Deus; me miserum peccatorem! En video mei consimilem astare. fac & ipsi, pro tua miseratione, veniæ gratiam. Denique quid Phariseo rei erat cum Publicano, aut qua in re ipse illum læserat? Quod si aliquid in eo desiderabatur, emendatum per fraternalis & placidas correctiones, non traductum odiosè oportuit. Hinc est illud Pauli: *Fratres, etiamsi præcupatus fuerit homo in aliqua offensa, vos spirituales reconcinante hujuſmodi hominem cum spiritu lenitatis: considerans unusquisque temetipsum, & ne tu tenteris.* Gal. 6. 1. Conspicuum in hanc rem est pronunciatum Salomonis: *Qui contemnit proximum suum, futurus est peccator.* id est, peccati condemnabitur. Prov. 14. 21. Verissime dictum. Nam superbis proximi contemtor, nec proximi, quem spērnit, nobilitatem & excellentiam, nec propriam vilitatem & infirmitatem agnoscit atque reputat. Communis obliuiscitur miseriæ, quum in proximi miseriā facile & uno veluti momento devolvi & impelli possit: sicuti vicissim proximus in superbi fortunataū conditionem (si quā hic utatur) subīd & repente attolli queat. Neque verò in proximum duntaxat arrogans contemtor injurius est, sed contemtor porro in Deum ipsum contumeliosus existit. Nam qui proximum, quod miser sit atque afflictus, contemnit, Deum, qui miseriā & afflictionem intulit, contemtui habet. Ex Salomonis Proverbiis hoc haurire est: *Qui subfannat pauperem, probro afficit Opificem ejus: qui delectatur calamitate,*

non

IN M A T T H. XVIII.

175

non imponis erit. Prov. 17. 5. Quibuscumque & quantis- cunque miseriis, calamitatibus, infirmitatibus, imperfectio- nibus conflictatur proximus pauper, ægrotus, ignobilis, in- doctus; tamen non definit esse proximus tuus, id est, arctis- simis tibi vinculis conjunctus. Nam ejusdem divinae imagi- nis reliquias, quas tu gestas, ipse circumfert: quo uno nomi- ne complectendus est, ut alia omnia abessent. Si quis oc- curreret, qui vultu te & corporis staturā plurimum ex- primere, in eum certè benevolā quādā voluntate præ cæteris propenderes. Qui igitur te animā, præstantissimā tui par- te, exprimit, nedum illum complecti debes: maximè, quum quā tibi similis est, Dei Patris nostri cœlestis imaginem re- ferat: deinde, deformitate & turpi Adami effigie te ad vi- vum repræsentet. Quæ res, ut amorem non conciliet, con- temptum sanè cohibere & fugare debet, & te ad miserationem inflectere. Quod si fide Christo insitus, ejus etiam imaginem induerit, novo atque fortissimo propinquitatis nexu tibi conjunctum eum interius & ardentiū amare de- bes: nisi, ut Deum in sua imagine, sic Christum in sua effigie contemtui habere placuerit. Quod si, te ad Christi imaginem conformato, ipse ab ea alienus sit, quis tamen, obsecro, te discrevit? 1. Cor. 4. 7: Num tu temetipsum, an Deus? Et quamobrem discrevit? Num tuo merito aut opérum di- gnitate, an mera & gratuità gratiā? Utique gratiā, & li- berrimā suā voluntate hoc fecit. Rotundè Paulus: *Gratiā estis servati per fidem:* (et hoc non est ex vobis: sed Dei donum est.) *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Eph. 2. 8. 9. Sun- ma huc redit: Neminem ed miseriārum & peccatorum devolvi posse, quin impressa habeat illa gloriæ divinæ ve- stigia, quæ eū apud homines meritō à contemtu vindicent. Ergo semper aures corporis & animæ tuæ circumsonentes hortatu illo Prophetæ: *A carne tua non abscondas te.* Esa. 58. 7. s. Pia submissio ad Dei iudicia, cum sancto & tranquil- lo si

lo silentio conjuncta. Deus idololatriis excidium denuncians, & suos hortans, ut exemplo eorum moniti resipiscant, ac explosis repressisque carnis suæ rationibus atque murmurationibus, totos se divino imperio & voluntati subjiciant, hoc veræ submissionis indicium subjungit: *Sile à conspectu Domini Iehovæ, propinqua enim est dies Iehovæ*, sc. ultionis. Zephian. 1. 7. Nec aliorum vergit illud Ieremiac monitum: *Bene est & speranti & acquiescenti in salute Iehovæ. Bene est viro huic, quem tulerit jugum in pueritia sua, qui sedens solitarius acquiescit, quod imposuerit ipsi Deus; qui induit pulvros suum, dicens, fortè est exspectatio.* Thren. 3. 26. — 29. Evidet nihil clarius & efficacius arguit insignem filii bonæ frugis demissionem, quam si paternæ castigationi placide se submittat. Eodem indicio genuini Dei filii innotescunt. David pios hortaturus, ne indignè ferant prosperitatem presentem impiorum, hoc unum remedium invidentiae & murmurationi opponit: *Sile Iehovæ, & inde sinenter exspecta eum.* Psal. 37. 7. Hoc remedio David ipse usus est, cum in summas angustias conjuratione Absolonicâ conjectus esset: *Obmutueram, inquit, taciturnus, filebam etiam à bono, id est, ne bona quidem & justæ defensionis meæ recordabar apud illos; sed missa faciebam omnia, & patienter perferebam.* Et subjicit: *Obmutesco, non aperio os meum: quia tu fecisti.* Psal. 39. 3. 10. Idem à Simei maledictis provocatus, & ad vindictam à suis infigatus, conscientiâ justissimi divini judicii, per tolerantiam suam animam suam possedit, dicens: *Quid mihi vobiscum, filij Tzerujæ? si maledicit, atque si Iehova edixit ei, maledic Davidi, ecquis dicat, quare sic facis?* Et paulo post: *Sinite eum ut maledicat, quia edixit ei Iehova. Fortasse respiciet Iehova ad afflictionem meam; & reddet Iehova mihi bonum loco maledictionis ejus, hodierno die.* 2. Sam. 16. 10. 11. 12. Jobus operâ Satanae à Deo gravissimè exercitus, liberisque & facultatibus omnibus exutus, summum animi demissionis specimen

cimen edidit, & in sancto Dei judicio acquevit, ingemnans suum illud: *Iehova dedit, & Iehova recepit: sit nomen Iehovæ benedictum.* cap. 1. 21. Rursus: *En, vilis sum, quid responsarem tibi? manum meam appono ad os meum.* cap. 39. 39. Hiskias, ob thesauros suos superbè legatis Babyloniis ostentatos, per Esaiam, iuslu Dei, graviter objurgatus, & de di-reptione opum, suorumque captivitate præmonitus, non responsavit, sed modestâ animi æquabilitate se divino judicio submisit, & Esaiæ dixit: *Bonum est verbum Iehovæ quod loquutus es.* Esai. 39. 8. Contrà superbi, justas poenas luentes, Dei judicia carpunt, & pro silentio murmura reddunt. Ideo Paulus reproborum patronis, objicientibus, Si Deus quos vult destinat exitio, & quod semel decrevit impediri non potest, quo jure damnat qui voluntate ipsius pereunt? hoc responso os obthurat: *Imò verò, ô homo, tu quis es qui ex adverso responsas Deo? num dicit figuratum fiduci, Cur me tale fecisti?* Rom. 9. v. 20. Fuerunt Iudei natio arrogantisima & contumacissima: adeoque minimè mirum, eorum quasi paternam hæreditatem fuisse, quod levissimâ occasione oblatâ, adversus Deum & fidos ejus seruos murmurârunt: iam ob defectum potus, mox ob penuriam cibi, rursus ex carnium desiderio & fastidio Man. Semper autem murmurârunt, quod Dominum non fideliter, sed iniquè secum agere putarent. Vin' ergo humilitatis cultor, & superbiaz hostis audire & haberi? toleranter divinis te judiciis submitte, murmura comprime, & silentium tene. *In silentio & spe sit potentia tua.* Esai. 30. 15. Graviter Paulus: *Omnia facite absque murmurationibus ac disceptationibus: ut sitis inculpati & simplices Dei filij.* Philip. 2. 14. Sapientius, monente eodem Apostolo, exemplo murmurantium Israelitarum: *Ne murmuremus, sicut quidam eorum murmurârunt, & perierunt à disperatore.* Hæc enim typicè evenerunt eis: scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum devenerunt. 1. Cor. 10. 10. 11. Et

Et author est Iudas Apostolus, *murmuratores*, & querulos, forteisque suam accusantes, gravissimas suæ murmurationis & querelarum poenas Deo justissimo judici in extremo judicio datus. Judæ Epist. vers. 16. Nervosè & piè Sapiens: *Auris zelotypa Dei audit omnia hæc, etiam sonus murmurationis non est abditus ei.* *Cavete igitur à murmuratione inutili, & ab obiretatione continete linguam, quia sermo occultus non est impunè abiturus, & os contra illum mentiens perdit animam.* Sap. 1. 10. 11. Et dic, quælo, quid murmurando proficiant superbi? Nihil omnino, nisi quod semetiplos excrucient, Deumque gravius offendant: interim ferendum est, quicquid sapientissimo & justissimo Deo ipsis imponere placuerit. Ridemus, si is qui cymbam ad rupem alligavit, & funem identidem trahit, rupem ad se accedere censeat, quium ipse ad illam appropinquet: Evidem in auctor tua est stultitia, arrogans murmurator, qui ad rupem æternæ Dei Providentiae nexus, trahendo & reluctando vis eam tibi obsequi, non tu ipse. Mitte aliquando has vanas cogitationes: & si sapi, sequere ab alto trahentem illam vim, & æquum cense, ut homini placeat, quicquid placuit Deo. Miles in castris, auditu viæ signo, vaia colligit, audito pugnæ, deponit, animo, oculis, auribus paratus ad omne imperium & intentus: Idem tibi sit animus, eadem mens, & in hac militia sequere alacriter & pleno gradu quocunque vocantem Imperatorem. Vere Seneca, rigidus ille virtutis magister, & egregius virtutum infectator: *Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia: nec perturbari his, quæ vitare nostra potestatis non est, in regno nati sumus,* D.E.O. PARE RE, LIBERTAS EST.

6. Intima & sincera abjectæ nostræ tenuitatis apprehensio in Dei præsentia, cum trepidatione ad ejus majestatem. Qui coram terreno & mortali rege comparet, reverentia majestatis ejus in genua præcidit, suæ sibi vilitatis conscius.

Mulier

Mulier Thekohæa Abìalomî causam actura, coram Rege Davide patre ejus, *providens super faciem suam in terram incurvavit se.* 2. Sam. 14. 5. Quidni ex intimo indignitatis & vilitatis nostræ sensu, nos in conspectu divinæ Majestatis abjiceremus? Nos, inquam, terræ vermiculi, pulvis & cinis, indigni qui in coelum oculos attollamus, & quos terra ferat. Huc nos invitat Regius Vates: *Deus, inquit, magnus est Iehova: & rex magnus supra omnes deos.* *In cuius manu sunt penetralia terra: & vires montium penes ipsum sunt.* *Cujus est mare, nam ipse fecit illud: & arida, quam manus ejus formarunt.* *Venite, incurvemus nos & procumbamus: flectamus genua coram Iehova, qui fecit nos.* *Nam ipse est Deus noster, nos vero sumus populus pacui ejus, & oves manus ejus.* Psal. 95. 3. — 7. Insignis & pathetica invitatio, quâ Propheta populum ad omnitudinem Deo Optimo Maximo reverentiam & submissiōnem præstandam excitat. Jubet eos coram Iehova genua flectere, se incurvare, procumbere, atque adeo, quod verbis pro locuti fuerant, etiam corporis totius in terram provolutione approbare, & consensem cum oris, tum reliquorum membrorum externorum, cum interno motu cordis testari. Eamdem divinæ Majestatis reverentiam & humilem venerationem rufus magnopere David commendat, ajens: *Magnus est Iehova & laudandus valde: reverendus est & supra omnes deos.* *Nam omnes dii populorum sunt idola: Iehova vero celos fecit.* *Majestas & magnificentia coram eo sunt: robur & ornatus sunt in sanctuario ejus.* *Afferte Iehovæ, familiæ populorum: afferte Iehovæ honorem & robur.* *Afferte Iehovæ honorem nominis ejus: afferte munus, & introite in atria ejus.* *Incurvate vos Iehovæ in sanctuario magnifico: formidate à conspectu ejus, tota terra.* Psal. 96. 4. — 9. Ita, suæ memor tenuitatis & miseriæ, coram majestate Altissimi se demisit Abrahamus, pro Sodomis intercessurus: *Ecce nunc, cuperem alloqui Dominum, tametsi ego sim pulvis & cinis.* Gen. 18. 27. Petrus, Christi majesta-

tem & potentiam ex miraculosa pīscium capture rectē agnoscens atque æstimans, & cum hac suam indignitatem conferens, seque mortalem & peccatorem esse cogitans; vocem hanc contritæ conscientiæ suæque indignitatis indicem emisit: *Discede à me. nam homo peccator sum. Domine.* Luc. 5. 8. Contrā superbi hoc se produnt indicio, quod spreta Dei maiestate, in conspectu ejus insolenter se efferrunt, stultâ suæ majestatis & splendoris gloriae opinione fascinati. Nebucadnetzar Rex Babylonie, oculis perlustrans magnificentiam Babylonis, urbis à se maximis ædificiis operibusque exornatæ, in Deum ipsum superbissimè insurrexit, ac coelo bellum quasi indixit, exclamans: *Annon haec est Babylon illa magna; quam ego ædificavi, ut eiset regia & ornamentum decoris mei robore potentia meæ?* Dan. 4. v. 30. Pharao Chophrahus Rex Ægypti, vir elatissimi animi, in Deum ipsum se armabat, ac majestatis ac splendoris sui coecâ perfusione ebrius, insolentissimè se efferebat, putabatque nunquam aliquem fuisse, cuius amplitudo cum sua amplitudine potuerit comparari. Verū Deus arrogantiam ejus reprobavit, eumque non minus quàm Assyriorum regem, cuius amplitudo omnino par aut superior ejus amplitudine fuerat, deturbavit. Audite Deum conscientiam ejus appellantem: *Cui ex arboribus Hedenis ita similis es gloriâ & magnitudine? dejecteris ergo cum arboribus Hedenis in terram imam, in medio præputiorum cubabis cum confessis gladio;* ille est Pharao, & tota multitudo ejus, diëtum Domini Iehovi. q. d. Sic tandem humiliabitur superbus ille Pharao. Ezech. 31. 25.

7. Sancta gratiæ & misericordiæ Dei amplificatio in omnibus ejus beneficiis. Quicunque enim nihil sibi suisque meritis, sed omnia corporalia & spiritualia, quibus ornati sunt, dona Dei beneficentiæ in solidum tribuunt, verè humiles sunt. Quemadmodum vala aurea & argentea, quem à radiis solaribus splendorem acceperunt, eundem reflexione ad

ad Solem remittunt: Ita siquid recte egerimus, donisque eximiis alios supererimus, ingenuè & humiliter solum Deum authorem agnoscamus, Davidi succinentes: *Non nobis Iehova, non nobis, sed nomini tuo da honorem, propter benignitatem tuam, propter fidem tuam.* Psal. 115. 1. Prout Sol suum in nos aspergum dirigit, ita brevior est umbra nostrorum corporum, ut meridie & sub id tempus videre est: Ita ostentationem & fastum eo magis refugere debemus, quo pluribus virtutibus abundamus. Viceversâ, Solis recessus indicium est, cùm umbræ longiores fiunt: Ita virtutis decrescentis signum est, cum arrogantia crescit. Quemadmodum herus qui ipse fuerit insitor, si hortulanus illi aliquot post annis ejus insitionis fructum adferat, magnopere delectatur: Ita Deus, cœlestis ille *agricola*, Ioan. 15. 1. magnam capit voluptatem, cum beneficia, quæ in nos contulit, ipsi accepta referimus, ipsumque illorum quasi Opificem agnoscimus. Haud enim mediocris laus, quod tam affabré nos adornarit & scitè coluerit, qui eramus instar agri sterilis & deserti, ac similes truncis exiccatis & putridis: quod ita, inquam, nos excoluerit, ut nunc bonos fructus edere ac proferre valeamus. Nec aliter Servator, *Vitis illa vera, cui salutiferâ fide insiti sumus:* In hac, ait, re glorificatus fuerit Pater meus, ut fructum multum adferatis. Ioan. 15. 1. 8. Nec dubitandum, quin nostris fructibus æquè delectetur, atque agricola læta segete, præfertim si ubertatem hanc ab ipso, non ab industria aut naturâ nostrâ manare, agnoscamus & liberè fateamur. Ecquid verò minus præstare queamus? Perinde hoc est, tanquam si creditor, cui vitam deberemus, nil præter audam & simplicem debiti confessionem exigeret. Num confiteri gravaremur? Nihil Israëlitico populo tam victorietur, nihil est propter quod Deus illi tam graviter irascatur, quàm quod ingratus sit, oblivioni traditis aut dissimilatis beneficiis ab illo acceptis. Per Esaiam inquit: *Filios*

C O N C I O T E R T I A

educavi & extuli, ipsi autem deficientes rebellaverunt in me. cap. 1. 2. Contra nihil est quo magis commendata sit virgo Maria, quam humilitate, quam primum se indignam tantis erga se Dei beneficiis agnoscit, deinde praeclaro cantico ad omnem posteritatem testificari voluit, Deum solam suam misericordiam & bonitate induxit, abjectionem ipsius respexit, ut sui filii mater & nutrix esset. *Luc. 1. 46.* & seqq. David, conspectis liberalissimis populi oblationibus ad templi structuram, animo oculisque ab hominibus ad Deum conversis, in hanc gratiarum actionem, erupit: *Nunc Deus noster, celebрамus te, & laudamus nomen tuum gloriosum. Etenim quis sum ego, aut quis populus meus, ut obtineamus vim sponte offerendi bussusmodi? nam ex te sunt omnia, & à manu tua acceptum reddimus tibi. Peregrini enim sumus coram te, & inquilini, sicut omnes maiores nostri: velut umbra sunt dies nostri super terram, quae non consistit. Ichova Deus noster, tota haec rerum multitudo quam parvimus ad ædificandum tibi domum pro nomine sancto tuo, è manu tua est, & tua sunt haec omnia.* *1. Chron. 29. 13.* — 16. Contra superbos omnia bona sibi suisque meritis & industriæ accepta referre solent. Propheta his verbis ingenium hominis arrogantis depingit: *Sacrificat plagiis suis, & suffitum facit reti jaculo suo; quia per haec pinguis est portio ejus, & cibus ejus optimus.* *Hab. 1. 16.* Nimis superbi excæcatus, ea sibi accepta fert, quæ ex Dei liberalitate in ipsum conferuntur. Imitatur pullos equinos, qui grandiores facti calce citra discrimen matres & alios equos petunt. Quod olim Aristoteli fuit exprobratum ob ingratum ejus adversus Platonem, ipsius præceptorem, animum: cui & in prælectionibus & in suis libris obtrectare solebat, deditans præcipuum doctrinæ & scientiæ suæ partem illi acceptam referre. Hæc exprobratio multò aptius in superbum quadrat, quod Dei erga ipsum infinita quum sint beneficia, ac nihil non ab illo acceptum habeat, dissimulet tamen, unde

ad se

I N M A T T H. X V I I I .

183

ad se manârint, & tacito authoris nomine, qui liberalissime in se illa contulerit, ea sibi ipsi tribuat ac vendicet. Socrates, quum Alcibiadem aliquo die propter opes & commoditya terrena gloriantem animadvertisset, hunc duxit in quendam locum, ubi erat affixa tabula descriptionis terræ. In hac jussit eum quærere Atticam: quam ostensâ, jussit iterum ut suos agros ostenderet. Tum Alcibiadi respondenti, nulla eorum extare vestigia; *Cur igitur, inquit Socrates, te effers ob res tam exiguae ut oculos fugiant?* Id ipsum dicere licet iis onanibus qui ambitione & arrogantiâ ducuntur. Ostendant ubi fuerint ante centum annos, & ubi post tantum temporis futuri sint, quidque ipsis profuerint & sint profuturæ res illæ inanes ex quibus tantam audaciâ concipiunt. Ædium structuram sibi tribuunt, quibus ne unam quidem tegulam imposuerunt. Apostolus conscientiam eorum appellat, dummodo illa cauterio non sit resecta: *Quis, ait, te ab alijs discernit? Quid autem habes quod non receperis? quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* *1. Cor. 4. v. 7.* Evidem non leve in his verbis est pondus. Tantundem enim dicit: *Stultum & ridiculum est alienis opibus superbire, seque instar corniculæ Æsopicæ alienis plurim ostentare.* Nam quicquid boni & eximiū habent homines, illud omne ex Deo habent. *Quod si negare velis quisquis es, agedum prodi, & dic quid habeas quod non acceperis.* Num corpus? num animam? num sensus? num reliquias corporis aut animæ vires? num eloquentiam, eruditio, judicij acumen? num tu ipse tibi victimum creare, num valetudinem pro tuo arbitrio tueri, corporis statu ram mutare, aut vitæ ad suum finem properanti dicem unum, imò horulam unam adjicere potes? *Nemo tam impudens, nemo tam vecors est, qui in his omnibus quicquam possit suum dicere.* Cur ergo tu teipsum discernis, & pro tuo arbitrio præ aliis vis eminere? *Cur Deo, omnis boni.*

boni authori, gloriam suffuraris, tibi arrogando, quæ à beneficâ ejus manu profecta sunt? Et cur hominibus ineptis & stolidis fidem habes, qui præcipiti suo & cæco judicio tibi hujus insolentiae authores sunt? Vere non - nemo & piè in hæc Apostoli verba commentans: *Hæc sententia*, inquit, & *physicè & politicè & Theologicè supercilium nobis excutere, & intra modestiæ limites nos continere debet.* *Physicè;* Si naturam spectamus, sumus homines. An superbiemus? Quis homines fecit? quis à brutis discrevit? Nónne Deus? qui poterat nos non creare, poterat pro hominibus boves, asinos creare. Gratissimo & demississimo animo & ore David exclamat: *Quid est mortalis, quod memor sis ejus? aut filius hominis, quod visites eum?* Minorem quidem fecisti eum pauper Angelis: sed gloria & majestate coronasti eum; præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus: greges & armenta quotquot sunt; etiamque bestias agrestes; aves cœli & pisces maris: quicquid permeat semitas marium. Psal. 8. *Politicè;* Si conditionem civilem respicimus, alius nascitur vel creatur princeps, alius subditus, alius nobilis, alius ignobilis; alius alio potentior, honoratior, ditor. An quis hic superbiet? *Quis verò te discrevit?* *Quid habes quod à Deo non acceperis?* huic gratitudinem debes, non insolentiam. David à caulis ovium ad regni gubernacula, à pedo ad sceptrum evectus, altos non gessit animos, nec suæ industriae, prudentiæ, aut meritis regiam dignitatem tribuit; sed in solius Dei laudes sic erumpit: *Quis sum ego, Domine Iehovi, & quæ est familia mea, quod deducis me eousque?* 2. Sam. 7. v. 18. *Theologicè;* Si gratiam consideramus; alius est electus, fidelis, justificatus, sanctificatus, & salvatur; alius non. An hic inflatus quis erit? dignitatem, opera bona, merita jactabit? *Imò quis te discrevit? quid habes quod non accepisti?* Quid si omnia accepimus, & quidem gratis: quid relinquitur quo gloriemur, h. e. efferamur apud Deum, vel apud homines?

8. Sancta

8. Sancta modestia in cultu Dei animum arguit demissum. Quum enim diligens & frequens cultus divini exercitium vera genuinorum Dei filiorum nota sit, utique qui modestè eum peragunt, hoc ipso humilitatem suam Deo & pijs probant. Ex Salomone hoc discimus, dicente: *Custodi pendum tuum, quum vadis in domum Dei, & appropinquas ad audiendum potius quam ad dandum cum stultis sacrificium.* nam hi non advertunt, se facere malum. Ne præcipites ore tuo, & cor tuum ne festinet proferre quicquam coram Deo: nam Deus in cœlis est, tu verò super terram. Idcirco sunt verba tua pauca. Eccl. 5. i. 2. Hic præter dignam ad cultum Dei præparationem, attentamque & diligentem verbi divini in cultu illo auditonem, ac studiosam imprudentis festinationis, & vanæ prolixitudinis & battologiae in eodem evitationem, sumimam requirit reverentiam sinceramque animi demissionem. In more est hominū, cum ad reges & alios in eminentia constitutos accedunt, pro ratione dignitatis, in qua sunt collocati, honorem & reverentiam iis exhibere: qui etiam ad dignitatisuæ significationem, in solida & editiora loca attolluntur. Arrogantia ubique turpis quidem est: sed coram rege turpissima. Scitè idem Salomon: *Ne arrogato tibi deorem coram rege, & in loco magnatum ne statu: nam melius est dici tibi, ascende hic, quam deprimi te coram ingenuo: quod vident oculi tui.* Prov. 25. vers. 6. 7. Qui in igitur Deus in cœlis infinitis gradibus omnes etiam augustissimos magnitudine & majestate supereret; nulla submissio tanta esse potest, quæ illius celstitudini respondeat. Elias, Deo cultum præstiturus, primum se abject in terram, deinde posuit faciem suam inter genua sua. 1. Reg. 18. vers. 42. Christus ipse Mediator in faciem suam. Matth. 26. 39. Publicanus, Deo sacrificium contriti cordis & sanctarum precum oblatus, tales adhibuit gestus, quide ejus adversus Deum reverentia & insigni animi

A a

animi submissione contestantur. *Procul stetit;* putavitque se peccatoreum esse maximum, & iniquitates inter se & Deum sum di sterminasse, uti Propheta loquitur. Esai. 59. v. 2. *Noluit vel oculos in cœlum attollere;* quia cœlum ejus sedem esse novaret, quem peccando sibi inimicum fecerat. *Cecidit perlust suum;* quod cordis & conscientiae suæ vulnus sentiret. Luc. 18. v. 13. Hanc modestiam in Dei cultu etiam accedit & auget nostræ vilitatis consideratio, quam ex loco habitationis Salomon colligit: *Tu, inquit, super terram es.* Ut vermes humi serpimus. Nempe ad terræ habitationem nos Deus abjecit, ut ad humilitatem nos eruditet. Prudens pater familias hospitem suum ad infimum in mensa locum detrudens, eumdem de abjecta sua conditione admonet: Sic Deus nos ad terræ habitationē unā cum brutis animantibus deturbans, nobis adversū superbiæ venenum antidotum paravit. Judæos de calamitatibus Jeconiæ imminentibus præmonens, eosque ad animi demissionem exhortatus, ingeminit illud: *O terra, terra, terra; audi verbum Iehovæ.* Ierem. 22. vers. 29. Cui si illud etiam accedit, quod non tantum in terra repimus, sed quod terra & pulvis simus; Gen. 3. 19. maximè vero quod, peccato interveniente, putredo simus; tumidi animi supercilium contundere debet. Quoties igitur Deum allocuturi, eique cultum suum præstituri sumus, subeat mentem nostram hinc Dei celsitudo, illinc nostra vilitas & abjectio, ut debita utriusque commentatione, cum summa cautione, ad thronum gratiæ accedamus. Propheta totum Dei cultum ἐπιτροπῆς describens, ait: *Indicavit tibi, ὦ homo, quid sit bonum, ac quid Iehovα requirit abs te, nisi ut exerceas ius, & ames benignitatem: & modestè ambules cum Deo tuo?* Mich. 6. 8. Nec imireritmodum in cultu Dei exigit. Quum enim vel tanta hominum sit confidentia, ut Dei gratiæ nequaquam se opus habere arbitrentur: vel tanta cupiditatum vis, ut illis abrepti leges & præcepta ipsius.

